59

RVTILII BENZONII
ROMANI
EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS.

DISPVTATIONES DVÆ.

Quarum Prima nunc denuò editur

DE


Iurisdictione, & Immunitate Ecclesiastica

Contra errores in Republica Veneta obortos.

SECVNDA.


De Iustitia Pontificij interdicti

Contra eiusdem Reipublicæ Pseudotheologos.



RECANETI, M.DCVI.

Apud Antonium Braidam. *Superiorum permissu.*



RVTILII BENZONII ROMANI
Episcopi Lauretani, & Recanatensis.
Contra errores in Republica Veneta obortos
DE
Iurisdictione, & Immunitate Ecclesiastica
DISPVTATIO.

Fundamenta eius in montibus sanctis. Psal. 86.

Explicatur, quinam sint montes, in quibus Ecclesia fundatur, quantùm ad corpus mysticum.

EMINENTIA Montium iurisdictionem Ecclesię Christi mysticè significat; sicut etiam celsitudo turris in vinea, quę Ecclesiam designat, ędificatę. Quemadmodum enim in montibus Deus prębet specimen suę potentię; sic Ecclesia in suis iurisdictionibus, quanta, & qualis sit, ostenditur. In montibus mirabilis maiestas, atq; potestas authoris naturę cernitur; Splendor verò, & virtus Ecclesię eximia in facultatibus supernaturalibus à Christo illi donatis effulget. Sunt montes, quasi columnę cęli, Iob. 26. sic iurisdictiones, & auctorita-

tes Eccleſiaſticę Chriſtianę Reipublicę validiſſima
fulcimenta. Fumigant montes, dùm à Deo igne cę-
leſti, aut iaculato fulmine tanguntur; ita Eccleſiaſti-
cę iuriſdictiones, dùm ſuprema auctoritate in impios
exercentur. Commouentur montes, & conturban-
tur, dùm Deus per illos ſuam iram in homines oſten-
dit; ſic quoque dùm Eccleſia cenſuras profert in ho-
ſtes, atque rebelles, phialas ſuę irę in terras effundit,
quò mortales terreantur, commoueantur, & reſipi-
ſcant. Et quemadmodum dùm lex in monte Synai ſe-
rebatur, montes in modum cerę ob ignis præſentiam
liqueſcentis, & diffluentis è cęlo demiſſi, diffluere,
atque liqueſcere videbantur; ita dùm Chriſti Eccle-
ſia profert in delinquentes ſententias cenſurarum, &
pręſertim excommunicationis, & interdicti, omnis
eius auctoritas, atque poteſtas ardere, ac fluere per
ignis vorantis impetũ videtur ad inſtar cerę, quę igni-
ta, vel igni admota liqueſcit; adeò vt omnes terrę ha-
bitatores, ſi Deum, vt pareſt, timent, commoueri, ac
contremiſcere neceſſe ſit. Habuit Synagoga æreos
montes, Zachar. 6. eoſdem habet & Eccleſia Chri-
ſti, hoc eſt, inſuperabiles, & fortiſſimas iuriſdictio-
nes in verbo Chriſti fundatas. Montes priſcis tem-
poribus ſacri omnes habebantur, eorumque cacu-
mina Deo dicata cenſebantur, iuxta illud Pſal. 94.
*Quoniam in manu eius ſunt omnes fines terrę, & altitudines
montium ipſius ſunt*. Sic omnis Eccleſiaſtica iuriſdictio

non ab hominibus, neque per homines, sed tanquam verè à Christo, Deo, & homine emanata religioso cultu, pijssimaq; obedientia colenda, & veneranda est. Et quemadmodum montes, & colles antiquitatis, & diuturnitatis, ac longissimi, & antiquissimi temporis sunt symbolum; Prouerb. 8. Habacuc. 3. Sic etiam omnem Ecclesiasticam iurisdictionem non nouam, vel recentem, sed antiquam, atque ipsi Christo Ecclesię institutori coęuam esse, catholicè confitendũ est. De huiusmodi igitur iurisdictionibus, in quibus, tamquam in montibus sanctis, fundata est Christiana Resp. in hac disputatione nobis agendum erit; id enim potissimum à nobis exigit horum temporum iniqua conditio; ac nonnullorum Theologorum imperitia, qui hac tempestate clarissimos Venetos seducere conantur, viri seditiosi, qui semper addiscentes, nunquam ad scientiam veritatis perueniunt. Sed vtinam vera, non falsa gymnasia sectarentur. Verum, vt distinctè procedamus, nonnullas hac super re propositiones proferemus.

Prima propositio. In Ecclesia Christi est potestas instituendi, & ferendi censuras. Quę quidem propositio est de fide, & quisquis illam pertinaciter negaret, hęreticus esset. Sensus autem huius propositionis est, Christum Ecclesię suę sponsę reliquisse potestatem, & auctoritatem iurisdictionis in foro exteriori, & contentioso instituendi, ac ferendi censuras Eccle-

clesiasticas, hoc est, excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Hęc enim tria nomine censurarum primo loco intelliguntur. Huiusmodiq; potestatem promisit Matth. 16. & 18. *Quęcumq; ligaueritis super terram &c.* Vbi Christus agens de actibus externę iurisdictionis, & singulas alias, & hanc facultatem Ecclesię concessit, cum in generali locutione omnia comprehendantur, quę ad conueniens Ecclesiæ regimen necessaria, vel vtilia esse possunt. Nec limitanda sunt verba Christi, ita vt aliquid, quod Ecclesię opportunum, vel necessarium est; excludatur, vt optimè Innocent. III. in cap. Solitę. de maiorit. & obedien. declarauit. Lege Hier. cit. loc. Matth. & Chrysost. homil. 61. in Matth. atque etiam August. lib. 1. cont. aduersa. leg. & proph. cap. 17. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 3. c. 5. ad 2. Victor. relect. 2. de pot. Ecclesiast. num. 9. & de clauib. §. 2. Sot. dist. 18. q. 1. art. 1. Ledesm. 2. part. q. 19. art. 1. p. antep. Cardin. Bellarm. lib. 4. de pęnit. cap. 5. & 13. & lib. 3. cap. 2. & 21.

In hoc autem Matthęi loco ex cap. 18. non solùm promissa Ecclesię huiusmodi potestas fuit, sicut singulariter Petro Matth. 16. Sed re vera fuit exhibita, atq; collata clauis iurisdictionis in illis verbis: *Quęcumq; ligaueritis super terram, &c.* & iterum. *Dic Ecclesię; si eam non audierit, sit tibi tamquã ethnicus, & publicanus.* Vt ibidem tradunt Hilar. Hier. Ansel. & August. in Ioan. tract. 22. & 49. vel certè in illo loco Io.

20. Si-

26. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, vt censet Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 55. & idem Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. c. 12. Sicut et vnicè Petro Io. 21. *Pasce oues meas*. Et quãuis nõ hĕretur in scripturis peculiaris, ac singularis locus, vbi; & quando tradita hęc potestas fuisset, nihil referret: Sufficit enim locus promissionis à Christo factæ, quæ irrita, & vana esse non potest.

Ex eodem loco Matthęi idem colligunt Conc. Nicęn. can. 5. & 12. & Constant. sess. 8. cap. 15. & 19. Carthag. 4. cap. 73. Brachar. 1. cap. 33. Meldense. cap. 56. Aurelianense 5. cap. 1. Matiscouense 2. cap. 9. Trid. sess. 25. de Ref. c. 3. Doct. in 4. dist. 18. vbi D. Thom. q. 2. Sot. dist. 22. q. 1. art. 1. & 4. Couar. cap. Alma. 1. par. in princ. num. 8. & §. 1. num. 1. Syl. excom. 5. num. 10. Panor. cap. Cùm desideres. num. 3. de sent. excom. Vrban. Papa epist. de commun. vita. Leo. epist. 67. ad Episcop. August. in psal. 54. Anther. & Callist. PP. in Epist. Hosius instit. cap. 31. Medices sum. pec. capital. p. 2. tit. 9. Est igitur iure diuino potestas excommunicandi, & ferendi alias censuras in Petro, Apostolis, & eorum successoribus collocata.

Sed obseruandum, potestatem instituendi censuras Petro, eiusque successoribus concessam fuisse: cũ hæc ad Ecclesię vniuersalis regimen spectet, & dirigatur; Sunt enim censuræ ritus quidam generales vniuersæ Ecclesiæ, quibus vti debent particulares Epi-

scopi

scopi ad subditos inobedientes coercendos. Qua etiã ratione Scotus in 4. dist. 19. q. vnica. art. 5 dixit, ideo censuram excommunicationis maioris à particulari Episcopo latam obligare suo modo omnes fideles ad euitandum excommunicatum; quod esse non posset, nisi à Summo Pontifice, cui tenentur omnes Christiani obedire, instituta esset: licèt hæc ratio Suarez non omninò satisfaciat. Potestas verò ferendi censuras particularibus quoque Episcopis communicata est, vt rectè Suarez notat tom. 5. disp. 2. sect. 2. Itaq; Episcopus potest quidem ferre, sed non instituere censuras, quod est proprium Papæ. Quod idem docuit Henriquez lib. 13. cap. 2. num. 3.

Secunda Propositio. Vsus, seu exercitium dictę potestatis fuit in Ecclesia à tempore Apostolorum. Nõ legitur in nouo testamento, Christum aliquem actu excommunicasse, licèt Petro non excommunicationem propriè, sed suę amicitię, participationis sacramenti, ac donorum spiritualium priuationem commi natus fuerit, Ioan. 13. *Non habebis partem mecum*. Ita Cyrillus Alexandrinus in Ioannem, & Basilius in sermone de iudicio Dei, & in oratione de peccato. Addit Caietanus ex lectione gręca; *Non habes partem mecum*, non comminationem futurę pęnę, sed denunciationem pręsentis priuationis ibi Christum explicasse. Tamen benè Apostoli vsi sunt huiusmodi potestate excommunicandi; ita fecit D. Paulus. 1. ad Timoth. 1. vbi

vbi ait, se tradidisse Satanæ blasphemos duos Alexandrum, & Hymenæum, & per excommunicationẽ id fecisse, communiter exponitur. Similiter. 1. Cor. 5. cum ait: *Iudicaui tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, &c.* ita Origen. Hom. 2. in Iudic. quę tamẽ Hieronymo, quia eã transtulit, tribuitur, & habetur cap. Audi. 11. q. 3. & D. Thom. in 1. ad Timoth. & in addit. q. 21. art. 2. ad 3. item Chrysost. & Ambros. in 1. Cor. 5.

Eadem potestate vsus fuit Petrus Act. 8. dum Simoni Mago dixit, *Non est tibi pars, neq; sors in sermone isto.* Quod enim his verbis Simonem Magum excommunicauerit, & ab Ecclesia eiecerit, expressè indicatur in can 30. Apost. vbi Simoniaci excommunicantur, & in exemplum adducitur factum Petri, qui Simonem ab Ecclesia eiecit; quod etiam dixit Tharsius in epist. ad Adrian. Pap. quæ habetur in 1. tom. Biblioth. Sanct. Vide item Conc. Chalced. can. 2.

Item D. Paulus ad Tit. 3. ait. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Hic iubet Apostolus, hæreticos excommunicandos esse. Vnde nonnulli exponũt, deuita, id est, excommunica; loquebatur enim cum Tito, qui erat Episcopus, & potestatem habebat excommunicandi.

Rursus ad Tit. cap. 1. loquens Apostolus aduersus

eos,qui adulterina, & corrupta quędam dogmata tradebāt; *Sunt enim*, inquit, *multi inobedientes, vaniloqui, & seductores, maximè qui de circuncisione sunt, quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes, quę non oportet, turpis lucri gratia.* deindè subiungit: *Quam ob causam increpa illos dure, vt sani sint in fide.* Excommunicare iubet istos; hoc enim significare gręcas voces, *epitimàn apotòmos*, ideſt, increpare, vel punire abſcindēdo, ceù membrum tabefactum, intelligitur ex lib. 2. de Conſtit. Apoſt. vbi excommunicare iubet Apoſtolica conſtitutio, cum opus eſt, his græcis verbis vtens, *Criné apotòmos, Kae ti machaèra tu pyrὸs paradòsis*, ideſt, iudica abſcindēdo, & trades gladio ignis; ſic enim vocat excommunicationem. Et paulò poſt adhuc clariùs, *Encopſon to duſapèn mèros*, ideſt, abſcinde, ſiue amputa membrum putreſcens.

In 2. quoque epiſt. can. Ioan. cap. 1. vſus huiuſmodi poteſtatis ſignificatur illis verbis; *Siquis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo, neq; aue, ei dixeritis.* Eſt enim hic vnus effectus excommunicationis: Sicut etiam quod dixit Paulus 2. ad Timoth. 3. *Subtrahatis vos à fratre.* Vbi legito Theophylact. & 1. ad Cor. 5. *Siis, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiēs, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumite.* & 2. ad Theſſ. 3. *Siquis non obedit uerbo noſtro, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut con-*

fun-

fundatur: Atq; hęc verba nō obscurè effectum aliquē censurę Ecclesiasticæ, excommunicationis nempè, pręseferunt.

Confirmatur idem ex alio loco D. Pauli 1. ad Cor. 4. *Veniam ad vos in virga*, vtiq; correctionis censurarum, & pręcipuè excommunicationis.

Comprobatur idem ex multis canonib. Apostolorum, vt ex can. 13. 58. 62. 65. 72. in quibus pęna excommunicationis infligitur non obseruantibus illos; quorum canonum defensionem aduersus Magdeb. lege apud Turrianum.

Necnon ex multis Patribus; Tertullianus enim in Apolog. cap. 39. *Summumq;*, inquit, *futuri iudicij pręiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.* Et superius vocauit hanc pęnam, diuinam censuram. Super quę verba legendus est Pamelius, & latiùs in ep. 38. & 62. Cypriani. Quibus in locis multa ex sanctis Patribus adducit.

D. Chrysostomus hom. 4. ad Hebr. *Nemo*, inquit, *contemnat Ecclesiastica vincula; non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit.* Et habetur in can. Nemo. 15. q. 3.

B. Augustinus lib. 2. retract. cap. 17. vbi hanc potestatem colligit ex verbis illis 1. Cor. 5. *Auferte malum ex vobis ipsis*, & ita exponit: *Hominē malum, & perniciosum à vobis separate per excommunicationem.*

D. Cyprianus lib. 1. epist. 11. comparat excommunicationem morti corporali, qua inobediens sacerdoti plectebatur, Deut. 17.

Antherus Papa in epist. decretali dicit, hanc pœnã habere in Ecclesia eum locum, quem pœna mortis habebat in Synagoga. Id quoque dixit Innocentius III. in cap. Per venerabilem. circa fin. Qui filij sint legitimi, in illis verbis: *Mori præcipitur, id est, per excommunicationis sententiam, veluti mortuus, à communione fidelium separari.* Idem probatur ex alio loco Augustini, qui lib. 11. de Genes. ad liter. cap. 40. sic scribit, loquens de Adamo: *Alienandus inde vtique fuerat, vel iam moriturus, vel etiam tanquam excõmunicatus, sicut etiam in hoc paradiso, id est, Ecclesia, solent à sacramentis altaris visibilibus homines disciplina Ecclesiastica remoueri.*

Hic animaduertendum est, vsum excommunicandi, & ferendi alias censuras, quem Ecclesia seruat, eà ratione esse de iure diuino, quod habeat fundamentum, & radicem in Euangelio Matth. 18. *Quæcumque ligaueritis &c.* Et, *Sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*; vt benè notauit Soto in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. ⁊ Ex his autem. Dando enim Christus Ecclesiæ potestatem ferendi censuras, voluit, vt esset etiam in Ecclesia vsus huiusmodi potestatis, quando necessarius, vel vtilis existimaretur: Potestas enim est, & datur propter vsum. Addit Suarez tom. 5. disp. 2. sect. 1. 5. Vnde quia hunc vsum in particulari etiam proficisci ex

 iure

iure Ecclesiastico, quia Ecclesia huiusmodi pęnas in particulari imponit, & actu decernit.

Tertia Propositio. Modus censurę institutione Ecclesię definitus est, ita vt obligatio seruādi censuram simpliciter sit de iure humano, secluso contemptu, licèt remotè à iure diuino, vel etiam naturali, originē trahat. Loquimur in hac propositione de censura lata ab Ecclesia, obligationemq; seruandi eam asserimus, originaliter esse de iure diuino, atque etiam de iure naturali: immediatè verò, vel simpliciter esse de iure humano Ecclesiastico, & positiuo. Hæc propositio ponitur in terminis à Francisco Suarez tom. 5. in 3. part. D. Thom. disp. 2. sect. 1. assert. 4. in princ. vbi sic habet: *Quartò dicendum est, obligationem seruandi censuram impositam, seu non operandi contra illam, simpliciter esse de iure humano, quanquam remotè trahat originem à diuino, immò & à naturali iure.* Hęc ille. Sic etiam rectè dicitur, pręceptum ieiunādi in quatuor temporibus, & obseruandi festum in die sancti Laurentij esse simpliciter de iure humano Ecclesiastico, licèt originem trahat à iure diuino, quod tantùm in genere præcipit ieiunandum, vel feriandum Deo.

Habet autem hęc nostra propositio duas partes, & vtraq; à nobis declaranda, & probanda est.

Prima pars propositionis est, quòd modus censurę institutione Ecclesię definitus est, & ita declaratur. Licèt Christus dn̄s tradiderit Ecclesię potestatem insti-

ſtituendi, & ferendi cenſuras, vt dictum eſt, ac proindè poteſtas huiuſmodi iure diuino ab ore Christi emanato, & in Euangelio expreſſo in Eccleſiam ſit introducta; tamen inſtitutio formę, & modi, immò ipſamet ſententia, quę dicitur cenſura, & per quam illa actu promulgatur, & fertur, ex iure humano Eccleſiaſtico immediatè proficiſcitur, & ad ipſum ius poſitiuum proximè, ac ſimpliciter pertinet. Atq; hęc doctrina eſt Soti in 4. diſt. 22. q. 1. art. 1 §. Ex his autē. & art. 4. in reſponſ. ad vlt. §. ſed tamen. Victor. tract. de excommun. q. 3. Caiet. tom. 1. opuſcul. tract. 1. cap. 23. Hēriquez lib. 13. cap. 2. num. 3. & cap. 4. in princ. & cap. 21. num. 3. Suarez tom. 5. diſp. 2. ſect. 1. art. 4. & fuit à nobis poſita in lib. 1. de anno Iubilęi: cap. 10. contra Couar. in cap. Alma mater part. 1. §. 1. Præfati omnes Doctores, & alij dicunt, ius excommunicandi eſſe de iure diuino; actum verò, ſeu ſententiam excommunicationis eſſe de iure humano Eccleſiaſtico. Et addunt, determinationē, & connexionem effectuum ipſius excommunicationis inſtitutam eſſe eodem iure Eccleſiaſtico ab Apoſtolorum tempore, & Chriſtū nullum determinatum effectum eſſentialiter coniunxiſſe cēſurę: ſed id commiſiſſe Petro, eiuſq; ſucceſſoribus, necnō Apoſtolis, determinandū, & ſtatuendū.

Et probatur ex can. Sicut Apoſtoli. 11. q. 3. Qui canon deſumptus eſt ex epiſtola Fabiani Papę, in qua apertè videtur ſentire, cenſurarum ſpecialem inſtitu-

tionem,

tionem, quoad eius modos, & effectus, esse à iure Ecclesiastico positiuo Apostolico. Sic enim habet: *Sicut Apostoli statuerunt dicentes, cum excommunicatis non est communicandum; & si quis cum excommunicatis, auersando regulas, scienter saltem, in domo simul loquutus fuerit, vel orauerit, ille communione priuetur.* Huic Pontifici cõsentit Cęlestinus I. qui in epistola sua secunda tractãs in specie de excommunicatione dicit, esse censuram Apostolicę sedis, & regulam seueritatis congruentis, significans his verbis, ex Apostolorum instituto profectam esse. Quod etiam magis expressè scripsit Callistus Papa, & Martyr in epist. ad omnes Galliarum Episcopos; vbi enumeratis omnibus pœnis excommunicationis subdit: *Quicumq; in his, vel in alijs prohibitis scienter excommunicatis communicauerit iuxta Apostolorum institutionem, & ipse similiter excommunicationi subiaceat.* Similiter Gregorius I. lib. 8. reg. epist. 39. appellat censuras ligamenta sanctę Ecclesię, & veras ligaturas; Et sanè qui eorũ epistolas leget, idipsum iudicabit. Idem quoq; deprehẽditur ex Conc. Arausic. & habetur 11. q. 3. Canonica instituta. vbi ponitur, qualiter sententia excommunicationis sit formanda, & proferenda: *Canonica,* inquit, *instituta, & Sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei, iudicio sancti spiritus* (hoc est Sanctæ Synodi, vt ibi glossa) *à gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, & consortio totius Christiani-*

 stiani-

stianitatis eliminantur, quoadusque resipiscant, & Ecclesiæ Dei satisfaciant. Ità quoque colligitur ex D. Paulo, dùm ait 1. ad Cor. 5. *Scripsi vobis in epistola, non commisceri fornicarijs.* Id ex hac eadem auctoritate Pauli etiam definitur in can. Multi. 2. q. 1. desumpto ex D. August. in homil. de pœnit. quæ est 50. cap. 12. Sic etiàm ex D. Ioanne in 2. sua epist. canon. dùm statuit, *Siquis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec, Aue, ei dixeritis: qui enim dicit illi, Aue, communicat eius malignis operibus.* Lege Bedam in eandem epistolam, cuius verba referuntur in can. Omnis. 24. q. 1. Extat quoq; prçceptum Apostoli ad Tit. 3. de hçretico excommunicando, & vitando post alteram correctionem. Ex quibus omnibus iàm vides, ex decretis Apostolicis, & ex ecclesiasticis cõstitutionibus determinatos modos, & effectus excommunicationis, & censurarum aliarum emanasse, in vi tamen potestatis à Christo traditç. Vnde D. Thom. in cap. 11. Apocal. ait, quòd Ecclesia per excommunicationis sententiam non solùm declarat, sed facit eiectionem ab Ecclesia. Quocirca hçc determinatio censurarum in varias species, seu gradus, quàmuis immediatè sit ab Ecclesia, nempè ab Apostolis, Petro, eiusque successoribus, dependet tamen intrinsecè à iure diuino, hoc est à potestate in genere eis à Christo cõcessa. Ita quoque Angles q. 1. de excom. concl. 9. in 1. difficult. & Syluester verb. excommunicatio 5. dub.

1. Tur-

1. Turrian. lib. 1. pro canon. Apost. cap. 5.

Secunda pars propositionis est, quòd obligatio seruandi censuram impositam simpliciter sit de iure humano, secluso contemptu, licèt remotè à iure diuino, vel etiam naturali originem trahat. Quę quidē pars ita declaratur. Obligatio seruandi censuram, in genere loquendo, ex triplici vinculo oritur. Primò ex iure diuino, à quo emanauit potestas iurisdictionis, & coactiua per censuras, quę est in Ecclesia, quę necessariò supponere debet subditos, qui teneantur eodem iure parere, pręterquàm quod etiam de iure diuino sit, vt fideles Ecclesię pręcipienti, & inobedientes separanti iuxta Christi Domini dictum Matth. 18. obediant. Secundò ex iure naturali fide illustrato, quod dictat, & pręcipit, vt pastoribus, tanquam superioribus, & sublimi potestate pręditis, pareatur, teste Apostolo ad Roman. 13. ad Hebr. 13. Tertiò ab humano iure Ecclesiastico, siue positiuo, idest, à sententia, vel pręcepto iudicis; Pręlati enim, & pręcipuè Summus Pontifex, per receptam à Christo pōtem actu immediatè, & determinatè prohibet, & suis decretis, sententijsq; vetat eos omnes actus humanos, qui censuris prohibentur, decernendo pęnas, seu censuras in indiuiduo, & in particulari secūdùm vsum, modum, & formam, qua hodiè vtitur Ecclesia.

Ita verò hęc tria vincula concurrunt ad cēsurę obseruationē, vt obligatio illam seruandi ab omnibus

illis, & singulis non externè solùm, seu extrinsecè, sed intimè, ac per se dependet. Et quidem quod attinet ad dependentiam à iure diuino, prçter dicta initio propositionis, hoc est, quod primariò, & radicaliter ab eo originem trahat; puto, propterea à D. Paulo dictum 1. Cor. 5. non solùm, in nomine Domini nostri Iesu Christi, sed etiam, cum virtute eiusdem Domini se tradidisse Satanç, idest, excommunicasse, & à fidelium consortio segregasse fornicarium quendam; Sic enim significauit Apostolus, vt virtute Christi operante ferebatur censura, ita eadem virtute, ac eodem iure ligare; Vndè D. Thom. in illum locũ Pauli *Adhibet*, inquit, *Apostolus auctoritatem principalis Domini, ex qua iudicium Ecclesię habet robur firmitatis secundùm illud Matth.* 18. *Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cęlis*. Hac etiam loquendi forma significauit Paulus, virtutem, qua Prçlatus fert censuram, esse virtutem Christi, qua ipsa censura ad suos effectus perficiendos efficaciam obtinet. Quare D. Chrysostomus homil. 4. ad Hebr. *Nemo contemnat*, inquit, *Ecclesiastica vincula, non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit*. De dependentia autem eiusdem obligationis à iure Ecclesiastico positiuo patet ex dictis; Et probatur ex eo, quod Ecclesia, seu Prçlatus suo humano decreto, & sententia sint, qui actu prohibeant, quç re ipsa fieri prohibent sub censura, &

ipſam cenſurę actualem ſententiam ferant; Et hinc etiam fit, vt obligatio ſeruandi cenſuram impoſitam, ab hoc humano, ac poſitiuo iure oriatur etiam immediatè, & formaliter; Vndè huius obligationis tranſgreſſio tres deformitates inuoluit, duas generales propter defectum ab obſeruatione tùm iuris diuini, tùm etiam naturalis, & tertiam ſpecialem immediatè reſpicientem defectum obſeruationis ſpecialis iuris Eccleſiaſtici, & poſitiui, quod per tranſgreſſionem violatur proximè, immediatè, & formaliter, vel ſimpliciter, vt loquitur Suarez tom. 5. diſp. 2. ſect. 1. aſſert. 4. & diſp. 6. ſect. 3. 5. Dices.

Hinc naſcitur, quòd Eccleſia habeat poteſtatem prohibendi, vel non prohibendi actus, qui cenſura vetantur, cum omnes illi ad ius poſitiuum, ſeu ius Canonicum ſpectent. Facit cap. Cum non ab hominę. de ſent. excom. Sequitur pręterea, Summum Pontificem poſſe mutare, & augere modos, effectus, & actus cenſurarum, vt patet ex Martini V. decreto in Concilio Conſtantienſi, quod voluit, excommunicatum, ſeu interdictum non eſſe vitandum, niſi poſt declarationem; & ex decreto Bonifacij VIII. in cap. Alma mater. vbi ſeueriores pęnę, & grauiores effectus antiqui interdicti moderantur, & relaxantur. Sequitur quoque, Pontificem Maximum poſſe motu proprio, & ſua mera voluntate relaxare, & auferre vincula cenſurarum

ab aliquo absque eius mutatione, vel dispositione, & scientia: quoniam horum actuum prohibitio immediatè ex lege Ecclesiastica nascitur, vt dixit Soto in 4.dist.22.q.1.art.4.

Vnde idē his rationibus magis explicitè probatur.

Primo quoniam immediata ratio, & causa obligationis, quę ex censura nascitur, est Ecclesiæ prohibitio, qua seclusa nulla alia est obligatio, neque aliud absolutum præceptum de faciendo, vel non faciendo hunc, vel illum actum; Ergo pertinet ad ius positiuum.

Secundo quia sicut abstinere à carnibus feria sexta ob præceptum Ecclesiæ est mera obligatio iuris positiui (licèt ius diuinum pręcipiat, generaliter obediendum esse Ecclesię pręcipienti) & qui violat huiusmodi præceptum, non violat diuinum, sed humanum mandatum: Ita qui censurę Ecclesiasticæ transgressor, & violator est, non diuinum præcisè loquendo, sed humanum præceptúm transgreditur. Atque hęc doctrina est D. Thomę in 4.dist.18.q.2.art.4.q.2.ad 3.seu in addit.q.23.art.3.ad 2.qui apertè sentit, hāc obligationem oriri ex pręcepto Ecclesię dicens: *Pręceptum Ecclesię directè respicit spiritualia, & ideo qui communicat excommunicato in diuinis, facit contra pręceptum*; Qui à fortiori idem diceret de quacumque censura, vt benè Suarez notauit.

Tertio quoniam Ecclesia habet potestatem supra

ius canonicum; & supra prohibitionem actuum, qui censura vetantur; ergo signum est, omnia illa ad ius positiuum pertinere. Facit cap. Proposuit. de concess. præben.

Quarto quoniam Ecclesia, seu Summus Pontifex potest mutare, & augere modos, effectus, & actus censurarum, vt ostendimus ex Conc. Constan. quod voluit, excommunicatum non esse vitandum, nisi post declarationem; Ergo &c.

Quinto quoniam Summus Pontifex potest motu proprio, & sua mera voluntate relaxare, & auferre vinculum excommunicationis ab aliquo absque eius mutatione, vel dispositione, & scientia; Ergo huiusmodi obligatio, seu vinculum ad ius humanum, & positiuum pertinet.

Sexto ex doctrina D. Hier. in cap. 18. Matth. vbi ait: *Potestatem tribuit Apostolis, vt sciant, qui à talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari, & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in cælo.*

Dictum est autem in Propositione (secluso contemptu) nàm tunc transgressio etiam secundùm speciale deformitatē esset sīpliciter violatio iuris diuini. Etenī si inobedientia trāsgredientiū adeò crescat, vt eorum superbia ascendat ad contemptum clauium, & soliditatem potestatis Ecclesiasticę directè, vel indirectè oppugnet, & petat, iàm crimen, mutando speciem, ad hære-

hęręsim appropinquat, immò ad apertam hęresim peruenit, cùm virtualiter, & implicitè potestatem talem in Summo Pontifice neget, & floccipendat; vt in simili casu affirmat Nauar. in Manual. cap. 27. num. 36. Facit can. Presbyteros. 50. dist. ex Concil. Ancyran. desumptus.

Oppugnant autem illam directè, qui in contemptum potestatis Ecclesiasticę, & in iniuriam ferētis, & ne legislator intentum finem obtineat, impediūt, ne Pontificię censurę affigantur, & publicentur; quique illas vel nullas, vel inualidas declarant; cùm id ad illos non spectet, cum subditi, & inferiores sint; supremusq; Iudex à nemine iudicari possit; & contra canonicas, & christianas leges, quibus ipsi obligantur, & libertatem Ecclesiasticam, quam tueri, non impugnare tenentur, cum filij Ecclesię sint, decreta fecerint: Quis enim inferior limitare, aut infringere, vel subuertere potest superioris potestatem?

Oppugnant directè, qui summum Pontificem errare in ferendis censuris causa cognita, & iuridico ordine procedentem, existimant.

Oppugnant directe, qui pręcipiūt in Pontificis iniuriā, sub corporalis vitę amissione Religiosis, & Ecclesiasticis personis, ne obseruēt interdictū Pōtificiū. Quid clarius pro schismate, vel hęresi introducenda?

Oppugnant directè, qui magis Ducum, ac Principum secularium decretis contra libertatem Ecclesiasticam

sticam sancitis, quàm decretis Ecclesię, Conciliorum generalium, ac Summorum Pontificum obediendū esse censet: nàm regimen animarum, & Ecclesiarum Christus Petro, Ioan. 21. non Duci, vel Regibus secu laribus commisit.

Oppugnant directè, qui cum Christiani sint, & in ouili Christi versentur, libertatē Ecclesiasticam in sa cris canonibus expressam, in generalibus Cōcilijs ab omnibus fidelibus obseruari decretam, ab omnibus Summis Pontificibus sartam, atque tectam destrue-re, atq; vastare conantur. Nonnè spontè receperunt Concilium Tridentinum? Cur nunc, & quo spiritu quęsò illius decretis se opponunt?

Oppugnant directè, qui auctoritate laicali Clericos in carceres conijciunt, ac detinēt, & admoniti nō resipiscunt; Personę enim Ecclesiasticæ, cum in sortē Domini sint assumptę, iure diuino à laicis tangendæ, & molestādę nō sunt, vt paulò infrà demōstrabimus.

Oppugnant directè, qui negant, Papam posse excommunicare illos, qui expresso decreto, & perpetua lege, ac laicali auctoritate prohibent, ne Oratoria, Monasteria, & Ecclesias in Ciuitate sine eorum speciali licentia fundari, & erigi possint, adhibitis etiam pęnis exilij, & carceris. Hoc certè est honorem, & cultum Dei auferre, vel limitare; & interpretes diuinarum rerum sua auctoritate se constituere.

Op-

Oppugnant directè, qui laicali statuto pertinaciter, ac temerè auferunt actiones personarum Ecclesiasticarum, quæ illis de iure competunt in bonis Ecclesiasticis emphyteoticis à laicis possessis: cum contra id etiam omnia iura Ciuilia, nedùm Canonica clament.

Oppugnant directè, qui statuto sine licentia Papę decernunt, & decernere se posse pertinaciter iactant, & credunt, non esse relinquenda Ecclesijs, Monasterijs, & Hospitalibus bona immobilia. Ad hæc enim omnia secularis potestas, si christiana est, & esse cupit, non se extendit, sed ea ad Patronum, & Custodem domus Dei, quę est Ecclesia, hoc est, ad Pontificem Summum, qui vicem Christi in terris gerit, spectant: reddenda enim sunt secundùm regulas iustitiæ christianę, quæ sunt Cœsaris Cęsari, & quę sunt Dei Deo. Nec Cœsar debet se Deum constituere, vt omnia occupet, vsurpet, disponat, vel confundat, & ipsúmet Deum spoliet; Qui verò moniti pertinaciter in huiusmodi facinoribus perseuerant, profectò de hęresi vehementissimè suspectos sese faciunt, ac proindè sunt corripiendi, & condemnandi. Et licèt peccato hęresis ex solo diuino iure censura excommunicationis non sit annexa, vt optimè Suarez docet in disputatione citata; & nos antè illum diximus in primo libro de anno Iubilęi, & ante nos Caietanus loco citato; sunt enim hęretici non ipso facto à Christo in scriptura ex-

ra excómunicati, vt bene affirmat Soto in 4. dist. 22. qst. art. 1. §. Ex his autem & alia 4. §. postremum. & Bagnes 2. 2. q. 11. super art. 4. Tamen quia Christus insit, incorrigibiles, & contumaces esse cauendos, & euitandos Matth. 18. sunt ab Ecclesia excommunicandi, & non solùm munitione, ac fulmine anathematis percutiendi, sed etiam vt morbida pecus ab ouili Christi abscindendi, ne alios Principes, ac Proceres terræ eorum malo exemplo conturbent, iuxta illud Apostoli ad Galat. 5. *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant* non est[illegible]

Licet autem Ecclesiæ (& hæc sit quarta Propositio) non solùm pro spiritualibus, sed etiam pro temporalibus damnis excommunicare: id quod ex facto Petri Act. 5. euidentissimè probatur: Petrus enim Ananiam, & Sapphiram pro defraudatione precij agri nō solùm excommunicauit, sed etiam sententia mortis damnauit. Idem colligitur ex Concil. Lugdunensi cap. Romana de sent. excóm. in 6. Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de reformat. Idem quoq; docet S. Thom. 3 par. q. 22. art. 3. in addit.

Ad defensionem igitur bonorum Ecclesiasticorū licitum, & necessarium erit Summo Pontifici excommunicationis gladium euaginare. Ex hoc autem facto Petri decreta illa de bonis Ecclesiæ non alienandis tàm Pontificia, quàm Oecumenicorum Conciliorum emanarunt: hinc emphyteosis Ecclesiasticæ le-

ges prodierunt; hinc bonorum, quæ Deo, & Ecclesiæ semel oblata sunt, inuiolabiles sanctiones profectæ sunt; Quod enim Deo semel dicatum est, quonam modo homo à Deo absque diuinitatis iniuria separabit? Et quomodo quod sanctum est, poterit iure videre corruptionem? Quod expressè Deus tradidit, Leuit. vlt. ibi: *Quicquid semel Deo fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*. Quomodo oblationes Deo factę laica auctoritate polluendę erunt? profectò in polluentes oblationes filiorum Israel pœna mortis infligebatur, Num. 18. Polluunt autem illas non solùm qui studiosè deteriora Deo dant, sed etiã qui pinguia, & egregia Deo oblata sibi auctoritate laica attribuũt, & reseruant. Lege D. Gregorium lib. 1. epist. 70.

Sanctus Vrbanus I. Martyr instituit ante Syluestrum, vt Ecclesia prædia, ac fundos à fidelibus oblatos reciperet. Auxerunt hoc Martyres sequentes, Põtianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, &c. vsq; ad Syluestrum. Cõstantinus ab Augustino ob Ecclesię, & eius bonorum defensionem, & incrementa fœlix dictus est in lib. 2. contra Petilianum. cap. 93. & ab Ambrosio lib. epist. 5. de obitu Theodosij Imperatoris. Carolus Magnus anno Domini octingétesimo decimo tertio Villam Regalem Vlmam cum omnibus iuribus, & appendicibus, & locis adiacentibus Monasterio Augiæ maioris tradidit, eiusque iura semper conseruauit. At contra Iulianus Imperator Apostata

Clericis omnia priuilegia, honores, consuetudinesq; subtraxit, & leges positas pro eis soluit. ita Cassiodorus scribit lib. 6. tripartitę historię. Vide igitur, qui nàm potius sint imitãdi, impius nè Iulianus, àn Christianissimi Principes, Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, Sãctus Henricus, & similes? De Iuliano Apostata constat, anno 32. ętatis suę mortuum esse, & imperasse anno dumtaxat vno, & mensibus septem: Pœnas quoque satellitum Iuliani, nempè Fęlicis, & Heluidij prosequitur Cassiodorus loco citato.

Verùm ab exẽplis scripturę sacrę non recedamus. Nonne Heliodorus multis plagis, & flagris affectus fuit, cum opulentissimo Hierosolymitano Templo iniuriam inferre vellet? ita legitur 2. Mach: 3. De Antiocho iura Ecclesiastica, bonaq; templi conculcante nonne legitur, 2. Mach. 9. de curru cecidisse, ac graui corporis collisione eius membra vexata fuisse, ita vt vermes de corpore eius scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes effluerent, odore etiam illius, & fętore exercitus adeò grauaretur, vt nec ipse iàm fętorem suum ferre posset, & deniq; in monte miserabili obitu vita functus sit? Pręterea Alcimus, cum erga tẽplum Domini malè affectus esset, illudque destruere cogitaret, paralysi dissolutus est, & amissa loquela magno cum cruciatu obijt. 1. Mach. 9.

Relinquo hìc alia exempla, quę in hac parte adduci possent; vnius Thomę Cantuariensis exemplum af-

fecrant. Hic pro iuribus, & prædijs Ecclesiæ sitæ excidit, fratribus missam pro defunctis apparantibus Angeli adstant, & intonant lętanter. *Lętabitur iustus &c.* O magnum libertatis Ecclesiasticæ argumentum?

Hęc à nobis adducta sint, vt Principes, & Consiliarij, aliorum experimentis, & periculis addiscant, Ecclesiastica bona, ac iura tueri; priuilegia concessa seruare integra, & Ecclesijs, & Ecclesiasticis sua bona relinquere: caueantque pro vtilitate Regni, & tuitione Dominij temporalis consilium dare, Ecclesias, eiusq; bona, & iura deturbanda; & molestanda esse. Hoc nequissimum esset consilium: *Facienti autem nequissimum consilium super ipsum deuoluetur, & non agnoscet, vnde adueniat illi*, Eccle siast. 27. Caueant, ne consilium, cogitationes, & facta Iudę imitentur, qui elegit magis diligere bona temporalia, hoc est, triginta argenteos, quàm Christum. Sciant, Dominum dissipasse consilium Iuda, & Hierusalem, & subuertisse eos gladio in conspectu inimicorum suorum, & in manu quęrentium animas eorum, Ierem. 19. Caueant, ne suis consilijs saturati in pœnas eorum incidant, qui Dei, & Ecclesię monita, & consilia despiciunt, quas Salomon Prouerb. 1. enumerat dicens: *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsanabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas,*

tus, & interitus quasi tempestas ingruerit: & quando venerit super vos tribulatio, & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me, eò quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint cõsilio meo, & detraxerint vniuersę correptioni meę. Comedent igitur fructus vię suę, suisque consilijs saturabuntur: auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.

Nec dicere iuuat, libertatem Reipublicę iure naturę omnibus vijs, ac modis tuendam, & conseruandam esse. Est quidem defendenda, & conseruanda, hoc enim Dominus, & omnis lex Ecclesiastica mandat, & precipit; sed non per ea media, quę Christianis legibus, ac decretis repugnant. Hoc enim non est cõseruare, sed destruere; non tueri, sed profligare; non augere, sed diminuere; non firmum reddere, sed annihilare statum, & iura cuiuscunq; Reip. dicente Domino: *Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit*; Non destruit lex Euangelica legem naturę, sed perficit; non tollunt sacri canones Principum statuta; sed complent; non subuertunt Pontificię sanctiones Senatus ordinationes, sed absoluunt, & in melius reformant, atq; reducũt. Sicut enim corpus ab anima perficitur, & inferiora à superiorib. ad proprium finẽ diriguntur, & principalius mouentur, & luna à sole lumen, atque splendorem accipit: sic omnis Politica Respub. si ad finem supernaturalem, &

homini

homini Christiano propositum subditos vult dirigere, Christi, & Ecclesię legibus non repugnare, sed obtemperare debet. Adde, quòd Duces, & Reges sęculi non sunt legitimi Clericorum, & Ecclesiarum superiores, ac Domini; aliàs filij parentibus, oues Pastoribus, temporalia spiritualibus, & terra cęlo pręmineret; quod absurdissimum est, & contra omne dictamen naturę. Quod si Ecclesia vna tantùm est cōtinēs laicos, & Clericos; & Ecclesię caput est summus Pontifex; congruēs est, immò necessarium, omnes eidem Summo Pontifici, quantùm ad spiritualia, & ea, quę à spiritualibus dependent, vel eis annexa sunt, obtemperare; aliàs non esset vna Ecclesia, nec vnum baptisma, nec vna fides. Neque vlli Reip. ea libertas concedēda est, quę christianos mores, Ecclesiasticas leges, potestates à Christo institutas, facultates ab eo traditas repudiet, atque despiciat, subuertat, atq; conculcet. Hoc enim esset hæreticum, Turcam, & Maumethanum se declarare, Christum lapidare, & ab eorum consilijs, Ciuitatibus, & locis ablegare.

Verùm quę conditiones necessarię requirantur, vt cēsura aliqua Ecclesiast. iusta, & valida sit, paucis aperiamus. Ac primò legitima potestas in ferente censuram, tamquam ipsius causa efficiens requiritur ad hoc, vt valida sit. Affectus quoque non prauus, & intentio non odij, vel vindictę in ferente esse debet, vt rectè, ac conuenienter feratur, vt eleganter docet

Am-

Ambrof.in càn.Iudicet.3.q.7.& Gregor.inc.Iudicare.11.q.3.in cap.1.de sent. & re iudicat. in 6. licèt hic defectus substantialis non sit. Secunda est, vt feratur propter id, ob quod ferri debet, & est causa finalis censurę. Tertia est, vt modo debito, ac iuridico feratur, nempè trina monitione pręcedente, & quadam certa forma in scriptis exprimente causam, ob quam talis censura infligitur, & est causa formalis ipsius censurę. Ex parte verò materię, relictis alijs, quæ à Doctoribus copiosè scribuntur, requiritur scientia ex parte eius, qui excommunicatur; Nàm ignorantia inuincibilis, seu probabilis, vt Iuristę loquuntur, excusat ab incursu excommunicationis; At verò quę omnibus his circumstantijs, & causis vestita est, iusta excommunicatio dicitur: illa verò quę defectum aliquem substantialem continet, iniusta.

Duplex est autem excõmunicatio iniusta; vna iniusta, & valida: altera iniusta, & inualida. Quã rẽ optimè declarat Nauar. in suo Manual. cap.27.nu.3. vbi ẽtenumerat multos casus, in quib. excõicatio iniusta est nulla, seu inualida, ex glos. celeberrima. in cap. pręsenti de sent. excõmun. lib.6. & Tolet. in sua summa.

Nobis autem (& hæc sit quinta Propositio) hoc in loco satis erit significare, literas Sanctiss. D. N. Papę Pauli V. in quibus censuras excommunicationis, & interdicti in Venetos tulit sub die &c. iustam, ac validam sententiam continere,

cum

cùm omnia requisita substantialia ad validitatem, & iustitiam censuræ cumulatissimè contineat. In illis enim literis potestàs ferendi exprimitur, idq; paterno affectu se fecisse Summus Pontifex attestatur. Sic B. Paulus in nomine, hoc est, in virtute Christi Corinthium illum excommunicauit. Finis etiam fuit ad euitandam ipsorum Ducis, & Senatus animarum perniciem, & scandalum plurimorum. Ita etiam D. Paulus tradidit illũ Satanę, vt spiritus saluus fieret. Quoad formam verò non solùm plures paternę monitiones præcesserunt, atque etiam iuridicę; sed etiam causa lationis censurarum iustissima exprimitur, nempè enormis, & sępenumero repetita violatio libertatis Ecclesiasticę, tàm quoad personas, quàm quoad bona. Præcessit quoque causa dispositiua, & culpa, hoc est, inobedientia, quam sacris canonibus, & Summorum Pontificum decretis in tali causa prę stiterunt, & contumaces se reddiderunt, cum moniti Ecclesiam non audierint. Lege D. Thom. in addit. q. 21. art. 3. & Patres in cap. 18. Matth. Nec ignorantia excusantur, cum iam huiusmodi sententia notissima sit, & ipsis, ac tonsoribus pateat; immò per ipsosmet Ducem, & Senatores, dùm contra illam scripserunt, & edicta promulgarunt, satis sufficienter promulgata, ac populis, & eorum subditis significata est. Quocirca non poterunt absque magno populi scandalo, & vltra peccatum mortale incursionem dictarum censurarum effugere.

fugere. Nec est nouum in Christi Ecclesia ad tuendā libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam, censuras proferre aduersus impedientes, & suppeditantes illam. Exempla sunt in promptu Innocentij III. Honorij III. Gregorij IX. Alexandri IV. Clementis IV. & Martini etiam IV. Bonifacij VIII. Bonifacij IX. Martini V. & Nicolai V. ac aliorum. Est igitur sententia huiusmodi Sanctiss. D. N. Pauli V. eò maximè timenda, quò iustissima est.

Verùm, an libertas, immunitasque Ecclesiastica iure diuino introducta sit, non solùm humano, vt eminentiam Ecclesiasticę iurisdictionis altiùs cognoscamus, paucis videndum est.

Et (sit sexta Propositio) certissimè profitemur, huiusmodi libertatem, atq; immunitatem ex ore Altissimi profectā esse, ac proindè iure diuino in lege veteri scripto interea, quæ moralia sunt, & iura naturæ continent, quæ semper, & omnem gentem obligant, haberi: atque etiam in Euangelio, immò ante ipsam legem scriptam in sacris literis expressis verbis indicari, & ex ipsa lege naturali in statu etiā naturę integrę non obscurè deduci. Singula probanda sunt.

Pharao Gentilis, vt habetur Genes. 47. Rex Aegypti immunitatem sacerdotibus seruauit, sic enim legitur in sacra pagina: *Emit igitur Ioseph omnem terrā Aegypti vēdentibus singulis possessiones suas prę magnitudine famis: subiecitq; eā Pharaoni, & cunctos populos eius,*

preter terrã sacerdotũ, quę à Rege eis tradita fuerat, quibus et statuta cibaria ex horreis publicis prębebantur: & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Et iterũ paulò post. *Ex eo tempore vsq; in prę sentem diem in vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem absq; terra sacerdotali, quę libera ab hac conditione fuit.* Hęc ibi. Vides, tempore Ioseph Patriarchę non solùm personas, sed etiam possessiones sacerdotũ, liberas à Consulibus, & Rectoribus laicis esse; vtiq; Deo sic innuente, atque iubente; aliàs in legem mos ille non transisset. Nec minus decet, Ecclesiam Dei tempore Principum Christianorum esse liberã, quàm fuerit tempore Pharaonis, vt rectè ait Alexander III. Papa in Concilio Lateranensi, vndè sumptum est Cap. Non minus. de immunit. Eccles. Ne cum Ieremia deplorante audiatur tempore Christianorum: *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.*

Tostatus grauissimis verbis sententiam Genesis iam citatam ponderans, sic scribit: *Sicut nunc decimis à Cõmunitate datis sacerdotes sustentantur; ita tunc, licèt decimę non darentur, in qualibet tamen Cõmunitate statuebantur horrea frumentaria ex horreis Communitatis: vndè cibaria sacerdotibus sufficienter tradebantur; nàm quia sacerdotes erant personę publicę administrantes cultum diuinum pro salute totius Communitatis, ob id ex bonis Communitatis sustentari debebant. Tantoq; fuere tunc apud Ægyptios honore sacerdotes, vt eis darent Reges terras ad habitan-*

bitandum, & colendum; Et insuper cibaria ex publicis horreis pręberent, ne propter inopiam ad alias se negotiationes cōferre cogerentur. In quo Reges, & Domini huius nostri temporis admodum exprobrabiles redduntur; quippè qui Ecclesijs, in quibus sanctissimus veri Dei cultus agitur, qui apud Gentiles non fuit, non solùm bona non conferunt, sed etiam ab antiquorum Principum deuotione collata auferunt, ministris Ecclesiasticis exactiones, extractionesq; partim publicas, & partim priuatas imponentes, vt iàm idem Rex, & Episcopus, & Papa esse videatur: at valdè abominandum est, vt filiorum seruituti Patres subijciantur. Hæc Tostatus, qui antè annos propè ducentos vixit.

Theodoretus simile quid reliquit scriptum in tractatu quęst. 106. in Genes. his verbis: *Sola terra sacerdotum Ægypti à prestando tributo quintę partis frugum immunis relicta est: usq; adeò venerabantur homines impij eos, qui non erant dij: at verò sacerdotes Dei viuentis non gaudent hac immunitate.*

Caietanus in eundem locum Genesis ponderans hoc exemplum Pharaonis, vt memorabile, & Christianis èt Principibus imitandū: *Hinc apparet*, inquit, *integritas Pharaonis, qui ne in tanta quidem omnium penuria subtraxit solita alimenta sacerdotibus; qui diuino cultui addicti, & speculatiuis scientijs intenti erant.*

B. Thomas in Commentarijs suis in epist. ad Roman. super illis verbis cap. 13. *Ideo & tributa prastatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes.* Egregiè

probat, libertatem Clericorum, atque immunitatem maximè consentaneam esse naturali æquitati; *Vndè etiam*, inquit, *apud Gentiles liberi erant à tributis illi, qui vacabant rebus diuinis.* Et adducens verba citata Genesis, subdit: *Hoc autem omninò æquum est; sicut enim Reges sollicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita ministri Dei in bonis spiritualibus; & per hoc, quod Deo in spiritualibus ministrant, recompensant Regibus, quod pro eorum pace laborant.* Hæc sanctus Thomas.

Iam verò alia loca scripturæ proferamus: In lib. Num. cap. 3. Deus sæpius repetit Leuitas intimè, ac propriè suos esse. *Eruntq;* inquit, *Leuitæ mei.* Quod iterum, atq; iterum dicitur, eosque sibi ex omni populo delegisse, & in eodem loco dono dari iubet omnes Leuitas Aaroni, & filijs eius, id est, summo sacerdoti, & successoribus eius; quos enim sibi ipse delegit ad ministerium templi, rerumq; sacrarum, soli Pontifici, qui locum Dei repræsentabat in terris, subiectos esse voluit, ac per hoc à iurisdictione terrenorum Principum liberauit. In Ecclesia verò Christi Clerici non sunt minores, quoad priuilegia, Leuitis, nec Pōtifex Christianorum minoris auctoritatis est, sed eminentioris, quàm fuerit Aaron in Iudæorum Synagoga. Quod eleganter Serm. 8. de passione Domini. B. Leo Papa scripsit: *Nunc*, inquit, *& ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior vnctio sacerdotum.*

In lib. 1. Esdr. cap. 7. Artaxerxes Rex Persarum

etiam Gentilis donans filijs Israel facultatem liberè redeundi cum Esdra in Hierusalem pro sacerdotum, ministrorumque Templi libertate, decretum statuit in hæc verba: *Ego Artaxerxes statui, atq; decreui omnibus custodibus Arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, vt quodcunque petierit à vobis Esdras Scriba legis Dei cæli, absq; mora detis &c.* Et infra: *Vobis quoque notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & Cantoribus, & Janitoribus, Nathineis, & ministris domus Dei huius; vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatē imponendi super eos.* Vbi glos. ord. quæ est Bedæ. *Hoc priuilegio ostenditur, quod cætera plebs filiorum Israel ad patriam peruenientes tributa Regio pendabant; quod discreta prouisione Rex fecisse cognoscitur; vt qui diuino seruitio semper erant occupati, à suo famulatu essent liberi; & qui in terra nihil proprium possidebant, sed ex decimis populi viuebant, nemo ex eis tributum exigeret.*

Item Iosue. 21. & Num. 35 habetur, quòd Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur Leuitis, ac Sacerdotibus Ciuitates ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta: *Dederuntq; filij Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini Ciuitates, & suburbana earum*, ait textus. Igitur quemadmodum in veteri testamento Leuitæ à potestate Principum secularium ipsi, & eorum bona libera erant; ita quoq; necessarium est, vt Clerici, eorumq; possessiones in nouo testamento liberæ sint.

Sed hoc ex loco aliquo expresso noui testamenti, vt omnis dubitatio euacuetur, confirmandum est.

Immunitatem sacerdotum docuit Christus Math. 17. illis verbis, *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa? à filijs suis, an ab alienis? dixit illi Petrus: Ab alienis; dixit Christus: Ergo liberi sunt filij?* De quo tributo hic Christus loquatur, altercatio est apud Patres. Sanctus Hilarius cum Theophylacto scribit, Christum loqui de tributo, quod Deus omnibus filijs Israel imposuerat, nempè de didrachma, quod in vsum templi offerebatur, Exod. 30. ac si dixisset Christus, Si Reges terræ non exigunt tributum à suis filijs, sed ab alienis; igitur neq; Rex Cœli exiget tributũ à me, qui eius filius proprius, & naturalis sũ.

D. Hieronymus putat, hic Christum loqui de tributo, quod Cæsari dabatur, licèt reuera non didrachma, sed denarius ante Christi ascensionem Cęsari solueretur. Scribit enim Iosephus lib. 7. de bello Iudaico, cap. 27. destructo templo à Vespasiano institutum fuisse, vt tributum didrachmi, quod à Iudęis singulis annis templo soluebatur, deinceps in Capitolium portaretur. Et ex hac expositione D. Hieronymi sequitur quoq;, Christum ad huiusmodi tributum soluendum obligatum non fuisse; quia licèt non esset filius Cęsaris, erat tamen filius Dei, cuius omnes Reges, & Principes terræ sunt ministri, vt dicitur Sapien. 6. & ad Roman. 13. Nec debent ministri Regis à filio Regis

gis tributa quærere. Est argumentum, vt inquit D. Chrysostomus, à minori ad maius. Cum autem filij Regum à tributis eximuntur, nõ solùm ipsorum personæ, sed etiam ministri, serui, familiares, ac denique tota eorum familia ab illis liberantur. Quod non obscurè innuit Christus in subsequentibus verbis: *Vt autem non scandalizemus eos*: Significãs, Petrum, & alios Apostolos à tributi solutione liberos esse. At verò cum certum sit, omnes Clericos propriè ad familiam Christi, qui est filius Regis Regum, spectare; sunt enim Clerici milites Christi, & de eius militia, vt scribit D. Ambr. tom. 5. in serm. domin. 22. post Pentecost. sunt item ministri Christi, & ad altaris ministeriũ electi, vt S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 4. cõsequẽs quoq; erit, verbo expresso Christi eos immunes à tributis esse. Hoc enim significauit Dñs dicens: *Sumens staterẽ, da illis pro me, & te*, ad euitãdũ scãdalũ, nõ quia deberẽt: pro te, inquã, qui es caput, & Princeps Apostolorũ, hoc est, pro tota familia Apostolica. Vndè D. Hier. in hunc locũ Matth. in suis Cõm. dicit, Clericos propter honorẽ Dñi tributũ nõ soluere, & quasi filios Regis à vectigalibus immunes esse. Et B. August. lib. 1. q. Euãg. scribit, in oĩ Regno terreno nõ esse vectigales filios Regni illius, sub quo sunt oĩa Regna terræ. Vtriq; per filios intelligens Clericos, qui peculiari ratione in sortem Domini vocati sunt. B. Thomas 2. 2. q. 10. art. 10. exponens hæc verba, *Liberi sunt filij*,

ait

ait, quòd Dominus poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filij; significans vtique id Christo ex natura conuenire, cùm persona diuina esset. Petrus autem quo iure excusandus erat, nisi ex priuilegio? Cum igitur non ex necessitate; sed ad scandalum vitandum mandauerit, & pro se, & pro Petro, tributum solui, euidenter colligitur, vtrumque à necessaria solutione ánnui census liberũ esse: Christum quidem ex natura, Petrum verò totius Christiani Sacerdotij caput, ex priuilegio, quod tunc in Petro omnibus Clericis ab ipsomet Christo concessum fuit. Præterea Christus eodem loco Matth. 17. declarauit, tributum à Petro soluendum, non propter pœnam, qua mulctari posset à Cæsare, sed propter scandalum euitandum. Ergo signum est, Petrum, etiam si tributum non soluisset, nulla pœna à Cæsare iustè plecti potuisse: non enim Christus dixit, ad euitandam pœnam; sed, *Ne scandalizemus eos*. Vndè, vt rectè notauit Vrbanus Papa in cap. Tributum. 23. q. 8. non iussit Dominus Petro, pro tributo dari piscem, sed tantum staterem, qui in ore eius inuentus est, quoniam de exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete, vt inquit Pontifex, quæ nos tueri, & defensare debent voluntariè, ac spontè Imperatoribus persoluendum est. Hæc ille. Non igitur ipsum piscem, nec aliquid ipsius, idest, ipsam personam Ecclesiasticam tributariam esse, Dominus voluit, sed de exterio-

ribus Ecclesiæ, hoc est, de bonis, quæ cum tali onere ad Ecclesiam peruenerunt, vt ibidem glossa exponit, Imperatoribus pro pace tributa soluenda permittũtur. Nec enim caput piscis, hoc est, Pontificalis apex, qui in ore capitis Ecclesiæ præeminet, subijci potest Regibus, sed de exterioribus Ecclesiæ spontè aliquid eis permittitur persoluendum propter onus, quod susceperunt, & promiserunt Ecclesiam defendendi.

B. Basilius in Moral. reg. 31. cap. 1. exponens illa verba Matth. 7. *Sine prius saturari filios*, ait, filios appellat hõies Deo dicatos. Sot. lib. 4. de iust. & iur. q. 4 art. 1. in fin. explicãs illa verba, *Ergo filij sunt liberi*, per filios non omnes Christianos intelligit, sed singulariter Sacerdotes, & Clericos: *Quod autem*, inquit, *de Christo afferunt, qui asseruit, filios esse liberos, neutiquàm sic audiri potest, vt Christianos omnes à Principum potestate liberauerit: quandoquidem eius Apostoli nos admonitos curauerint, vt eisdem obsequeremur: sed id peculiariter sacerdotib. competit.* Hæc ille. Lege Abulensem. q. 117. & 143. in eund. loc. Matth. & D. Ambros. lib. 4. in Luc. cap. penult. vbi restringit solutionem census ad laicos, qui sęculi lucra sectantur: *Si enim*, inquit, *censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putes esse soluendum? & ille censum soluit, qui nihil possidebat: tu autem, qui sęculi sequeris lucrum, cur sęculi obsequium non recognoscas?*

Probatur idẽ ex alio loco scripturę, nimirùm Ioan.

20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, nempè cum potestate regendi, gubernandi, leges ferendi, puniendi, corrigendi, arguendi, & mittendi alios cum simili potestate: Atqui hęc potestas regendi integra, & perfecta esse non potest, nisi soluta, & libera à laica potestate: Igitur diuino iure hanc libertatem insertam, annexam, & vnitam habet. Qua enim animi fortitudine, & constantia fidem quis prędicabit, vitia redarguet, falsum Deorum cultum euertet, leges sacras feret, adulteria damnabit, fornicationem prohibebit, & similia in populis pręstabit, qui eisdem populis, eorumq; rectoribus iure subiectus est? hoc postulat munus Apostolicum, & sacerdotale, vt cum ante Reges, & Principes steterint Gubernatores Ecclesiarum, nō timeant; quod proprium est eorum, qui subiecti sunt; sed viriliter, ac fortiter Christi legatione, diuina fulti auctoritate, fungantur. Igitur cum ad functionem Apostolicam, & ad munus sacerdotale hæc exemptio necessaria sit; vtique à Christo illis concessa fuit, qui ad huiusmodi ministeria vocati sunt. Vndè Chrysost. homilia octogesimaquinta in Ioannem ait: *Quemadmodum enim Rex Prefectos mittens, vt in carcerem reos intrudant; vt liberent, potestatem prębent: ita Jesus discipulos dimittens, hac munit auctoritate*. Non enim (vt dictum est) Clericus, vel Monachus suo munere rectè fungi potest, nisi liber sit, & immunis à iurisdictione ciuili. Repugnat enim ratio-

rationi naturali in ordine ad officium Clericorum ritè administrandum, huiusmodi Clericorum subiectio Principi seculari; quod etiam ex absurdissimis inconuenientibus, quæ indè sequerentur, demõstrat Sotus in 4. dist. 25. q. 2. ar. 2. Etenim absurdum maximum esset, Episcopos, & Clericos sisti ante secularem, & flagellari à Iudice laico, & omnis reuerentia erga sacerdotes periret, si laici eos pro imperio coercere possent.

Adijciamus quoque locum illum Apostoli ad Hebræos 13: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, vt maximum habeatis honorem*. Chrysostomus elegánter hæc verba declarans, & non solùm ad Episcopos, sed etiam ad alios Sacerdotes extendens in citata homilia ait: *Tu enim rem tuam curas, quam si benè ordinares, nulla tibi alia sollicitudo impendet. Sacerdos si vitam disposuerit, tuam autem nõ diligenter curauerit, cum impijs in gehennam detrudetur; & nonnunquam non proprijs actionibus, sed nostris damnatur, nisi omnia, quæ ad se spectant, efficiat. Cum igitur periculi magnitudinem videatis, multa eos beneuolentia prosequamini, quod et Paulus significauit, dicens: Ipsi peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditùri: idcircò maximè colẽdi sunt. Quod si eis insultabitis; neq; vestra benè disponetis. Quoad enim bono, & læto animo est gubernator, etiam nautæ securi sunt: sin inuisus his esse cœperit, & molestè ferre, neq; itidem vigilare, neq; artem exercere poterit, & inuitus, mo-*

lectusq; multis eos malis afficietis: & sacerdos, si debitum à nobis cultum sibi præstari viderit, rectè nos gubernare poterit: si afficietis morte, manus eius debilitantes, simul vobiscum fluctibus, etiam si maximi animi sit, obijcietis. Hæc ille.

Quod si subesse oportet his omnibus hominibus, qui inuigilant, quasi reddituri rationem pro animabus eorum; qua ratione negari poterit, Episcopis, & Sacerdotibus etiam Reges, ac Principes, & Magistratus subiectos esse, & eorum præceptis obtemperandum? non ergò clericus Principi subiectus erit, sed contra. Quare idem Chrysostomus eodem in loco subdit: *Nonne videtis, sæculi Principibus omnes subesse, & sæpè genere, vita, & prudentia potioribus deteriores præponi? Nihilominus Principis, qui eos præposuit reuerentia, nihil quales illi sint, cogitant. Quòd si homo aliquem constituerit, tantus subijt metus; si Deus quem constituit, despicimus, maledicimus, innumeris afficimus contumelijs: & cum fratres nostros iudicare prohibeamur, contra sacerdotes linguam acuimus.* Hæc ille. Quid igitur dixisset, si contra sacerdotem non lingua tantùm laici, sed etiam manus, gladius, vincula, satellites, & armata copia conuerteretur?

Præterea episcopi in sacris literis dicuntur pastores, patres, & principes populorum: non igitur, vt diuina, & naturalis ratio postulat, ouibus sibi subiectis, vel filijs, quos in Domino gignunt, & regunt, vel deniq;

niūque subditis, quos iudicant, corrigunt, & castigant, subiecti erunt; immò ab eorum potestate, quasi illis supereminentes, exempti, liberi, & immunes. Nec enim Episcopi sunt mancipia Principum, vt Brentius perperàm docuit, sed sunt Principes populorum, vt dixit Propheta psal. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram*. Quem locum ita exponens D. Augustinus ait: *Pro patribus, id est, Apostolis, nati sunt tibi filij, id est, multi fideles, quos Deus constituit Episcopos, at proindè Principes super omnem terram*. Quare S. Hieronymus in eundem locum sic ait: *Fuerunt, ò Ecclesia, Apostoli Patres tui, quia ipsi te genuerunt; nunc autem quia illi recesserunt à mundo, habes pro his Episcopos filios*. Et infra: *Principes Ecclesię, id est, Episcopi constituti sunt*. Et ibidem Euthymius: *Nascentur*, inquit, *fideles per baptismum regenerandi loco parentum eius, atque in eorum sufficientur dignitatem, Episcopiq; & custodes hominum, & Ecclesiarum Pręsides in toto orbe constituentur*. Idem etiam Chrysostomus, & Theodoretus significant, qui per Patres Patriarchas, per filios Principes, Apostolos, eorumque successores Episcopos intelligunt. Si igitur Episcopi sunt Principes Ecclesiæ; vtique non erunt subditi Principibus seculi.

Ad extremum, Immunitas personarum Ecclesiasticarum ex loco Ioan. 18: *Sinite hos abire*, non obscurè cognoscitur: illis enim verbis Christus militię secu-

lari precepit, ne tangerent, vel molestarent Apostolos, quos Pater ei dederat in familiam, tanquàm ministros futurę prædicationis Euangelicę ab illorum iurisdictione liberos. Sic rectè D. Chrysostomus homil. 82. in Ioan. innuit, scribēs uerbum illud Christi, *Sinite hos abire*, fuisse verbum diuinæ virtutis, & potestatis, quo satellitum furorem reprimēs præcepit, & effecit, ne in aliquem discipulorum insurgerent, neuè aliquem comprehenderent. Quare Caietanus in eundem locum Ioan. optimè ait, *Non rogat, sed pręcipit, ut non capiant discipulos, ad insinuandū, quod non beneficio satellitum, sed ipsius Iesu, discipuli non sunt comprehensi*; Vndè verbum illud fuit præceptum potestatiuè dictum. Ex quo etiam infert, adolescentem illum, quem Marcus describit detentum, non fuisse aliquem vndecim Apostolorum, quos Dominus demonstrauit dicens, *Sinite hos abire*. Quod etiam Maldonatus Marc. 14. notauit. Nec enim adolescens ille fuit Ioannes Euangelista, vt Chrysostomus in Comment. in psal. 13. & Ambros. in psal. 36. & Greg. lib. 14. Moral. cap. 24. & Beda in Marc. significant. Nec fuit Iacobus iustus frater Domini, vt Epiphanius hæres. 78. & Hier. in psal. 37. cum ille tunc temporis adolescens nō fuerit. Fuit autem, vt Elias Cretensis in Commēt. in orat. Gregorij Nazianzeni 11. contra Arrianos, & Theophylactus in Commēt. huius loci innuunt, adolescens aliquis extra numerum Apostolorum (laicus

nempè) ex eademo:, vbi Christus ea nocte cœnaue-
rat, Christi tamen studiosos, & sectator.

Verùm diuino iure, seu Dei ordinatione, hanc Clericorum immunitatē in Ecclesiam inuectam esse, multa generalia Concilia, & Summorum Pontificum cōstitutiones expressè docent. Nec enim hoc est dictum scholasticorum, & disputantium problematicè ad vtramque partem: Semper enim Ecclesia intellexit, non solùm iure Canonico, sed diuina ordinatione id agi in Ecclesia. Afferamus verba ipsa Conciliorum generalium.

Concilium Lateranense sub Innocen. III. cap. 46. *Nimis*, inquit, *de iure diuino quidam laici vsurpare conantur, cum viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes, eos ad præstandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt.* Pari ratione proculdubio dicendum est, nimis valdè de iure diuino illos vsurpare, qui non solùm bona Ecclesiastica laicali auctoritate sibi attribuunt, & diuersis seruitutibus onerant, sed etiam ipsas personas Ecclesiasticas in carceres conijciunt, detinent, iudicant, & occidunt.

Concilium Lateranense sub Leone X. celebratum sess. 9. sic loquitur; *Cum à iure tàm diuino, quàm humano laicis potestas nulla ī Ecclesiasticas personàs attributa sit, innouamus omnes, & singulas constitutiones &c.*

Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 20. de reformat. sic habet: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immu-*

immunitas Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constituta est. Quo in loco etiam hortatur Principes, & Magistratus, vt eam non violent, nec violari permittant.

Addamus Concilium Coloniense Prouinciale paulò ante ipsam Tridentinam Synodum celebratũ part. 9. cap. 20. *Immunitas,* inquit, *Ecclesiastica vetustissima res est, iure pariter diuino, & humano introducta, quæ in duobus potissimùm sita est. Primum vt clerici, eorumq; possessiones à vectigalibus, & tributis, alijsq; muneribus laicis libera sint. Deindè ne rei criminis ad Ecclesiam confugientes, indè extrahantur.* Hæc ibi.

Vidè, quàm clarè Cõcilia loquantur, & miror, Hẽriquez lib. 7. cap. 24. & lib. 13. cap. 2. quasdam interpretationes illis adhibere, quę repugnant directè verbis, & intentioni Conciliorum. Nec est simile de exẽptione Regularium à iurisdictione Ecclesiastica Ordinariorum, quę est ex mero iure humanò Pontificio. Neque solùm hęc immunitas in vniuersali habet principium, & decentiam, seu correspondentiam cum iure diuino veteris legis, sed etiam necessitatem in lege Euangelica, vt rectè Driedo in lib. de liber. Ecclesi. fol. 109. & Pighius lib. 4. de Eccles. hierarch. c. 2. D. Hier. in cap. 17. Matth. Quod etiam expressè dixit Bonifatius VIII. in cap. Quamquam. de cens. in 6. Vbi supponit, esse rem notam, & exploratam, Clericos, & eorum bona libera esse à potestatę seculari, nõ solùm

iure

iure humano, sed etiam iure diuino: Quod etiam dixit Symmachus Papa in Synod. 3. Romana in illis verbis: *Solis sacerdotibus disponendi de rebus Ecclesiæ indiscusse à Deo cura commissa est.* & Ioannes VIII. can. Si Imperator. dist. 96. *Non à legibus*, inquit, *publicis, non à potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & sacerdotibus Omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti.* Idem quoque declarauit Innocentius IV. vt Doctor tamen, in Comment. super cap. 2. de maior. & obed. acutè animaduertens, quod si hæc exemptio Clericorum solo iure Pontificio introducta esset, etiam consentiente Imperatore, non autem ab ipso Deo; non esset plena, & integra exemptio.

5 Esset nunc probandum, Iure Ecclesiastico, immò etiam Principum secularium decretis, Clericos à potestate laica exemptos esse, sed hæc ex Codice Theodosiano, & Iustiniani, & ex lib. Decretorum omnibus obuia sunt. Ante tempora Iustiniani legibus antecedentium Principum fuerunt immunes Clerici à tributis personalibus, vt indicauit D. Hier. loc. citat. Non tamen erant liberi à tributis, quæ pendi solebãt ratione possessionum, vt insinuat S. Ambrosius in orat. de traden. Basilicis, vbi dicit: *Agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Et Theodoret. lib. 4. histor. cap. 7. scribit, Valentinianum seniorem in epistola ad Episcopos Asiæ illa verba posuisse: *Boni Episcopi tributa pen*

ficiant Regibus; Quod intelligendum est de illis possessionibus, quæ ex consuetudine, antequam ad Ecclesiā peruenirent, soluebant tributa: transibant enim ad Ecclesiam cum onere suo, vt etiam hodiè fieri solet, ne tertio præiudicium afferatur. Quod autem naturali quoq; iure, ac æquitate, seu iustitia Clerici sint exempti à potestate laica, non est difficile probare, cū apud omnes gentes hoc axioma receptissimum sit, Personas Deo dicatas immunes esse à communibus Reip. oneribus, & à seculari iudicio. Id enim hoc in loco naturalem legem appellamus, quod ex prīcipijs naturæ, saltem mediatè, per rectam cōsequentiā deducitur, & apud omnes gentes, vt verissimum, compertum, & obseruatum est. Quod enim omnibus hominibus commune est, à natura ipsa descendit, quæ omnibus communis est, ac proindè naturale esse, affirmandum est.

Demonstrauimus, apud Hebræos Leuitas fuisse liberos: apud Aegyptios sub Rege Pharaone Sacerdotes fuisse exemptos; atque etiam sacerdotes Hebræos sub Rege Artaxerxe. De sacerdotibus Gentiliū idem deprehenditur ex Aristotele in lib. 2. Oeconom. ex Cæsare lib. 6. de bello gallico, & Plutarcho in Camillo, & Diodoro lib. 2. vbi sic scribit; *Sacerdotes itaque omnes in Ægypto immunes sunt, secundumq; post Reges honoris, & dignitatis locum tenent*. Apud Christianos verò Constantinus ab initio suæ conuersionis ad fidem,

natura

natura docente, Clericos à communibus Reip. oneribus liberos declarat, vt constat ex eius d. epist. ad Aquilinum, apud Eusebium libr. 10 hist. Eccles. cap. 7. Atque multi alij Imperatores id sanxerunt. Neque hęc exemptio est arbitraria, atq; libera ad nutum magistratus, seu ducum, sed debita, & necessaria; quod declarauit Iustinianus l. Sancimus 2. de sacros. Eccles. illis verbis, Cum enim iam exemisset Ecclesias, sic scribit: *Cur enim non facimus discrimen inter res diuinas, & humanas? & cur non competens prerogatiua cęlesti fauori conseruetur?* Quare rectè tandem Sotus in 4. sent. dist. 25. q. 2. & Victoria in relect. 1. de potestat. Ecclesię q. vlt. dicunt, hãc exemptionem esse omninò consentaneam rationi, & ipsi naturæ, hoc est, vim habere ex iure naturę: ac proindè mutari, vel abrogari non posse à Regibus, & Principibus, etiamsi omnes simul coniuncti eam abrogare conarentur. Atq; hęc est etiam doctrina D. Thomę, qui sicut nullibi dixit, hanc exemptionem non esse de iure diuino: ita quoq; nunquam affirmauit, esse tantùm de iure humano: Et licet in Comment. super epist. ad Rom. scripserit, illã esse ex priuilegio principum: addidit tamen, id factũ esse ob naturalem ęquitatem.

Quod etiam omninò persuadetur ex naturali quadam proportione, & similitudine, quam habet iurisdictio spiritualis, & temporalis ad animã, & corpus, ad spiritum, & carnem, ad Deum, & mundum, ex do-

ctrina D. Gregorij Nazianzeni in orat. ad Populum timóre perculsum, & ex Vgone de S. Victore; immò etiam ex D. Thoma in opusculo de Regimine Principum, alijsque insignibus Authoribus. Sicut enim se habet anima ad corpus illud regendo, ac moderando, eiq; præsidendo; sic iurisdictio spiritualis ad temporalem: Et sicut anima non est propter corpus, sed corpus propter animam, & materia propter formam, vt docet Arist. 1. phys. Sic iurisdictio temporalis est propter spiritualem, ad hanc enim illa refertur, & hæc ab illa non dependet. Præterea sicut spiritus carnem regit, & moderatur, immò etiam aliquando coercet, cohibet, & excitat, prout ad finem suum expedire iudicat; Et contra, sicut caro nullum habet imperiũ in spiritum, nec eũ in re vlla iudicare, dirigere, & coercere potest; sic potestas spiritualis, seu Ecclesiastica cum naturaliter sit seculari potestate superior, illam, cum opus est, dirigere, iudicare, & coercere potest: ipsa verò à seculari dirigi, vel iudicari, vel coerceri nulla ratione permittitur; immò id vt incongruum, & inconueniens naturali lumini aduersatur; sicut etiam non Deus à mundo, sed mundus à Deo dependet, ab eoque regitur, & prout oportet, variatur, atque mutatur.

Hinc sequitur, errasse Caluinum, qui lib. 4. instit. cap. 11. §. 15. docuit, Clericos exceptis causis merè Ecclesiasticis subiectos esse debere legibus, & tribunali-

nalibus secularium magistratuum. Errasse quoque Petrum Martyrem in cap. 13. ad Roman: qui etiam addit, Principes non potuisse concedere Clericis priuilegium, vt non subijcerentur magistratibus politicis, cum id sit contra ius diuinum. Sed turpius errauit Ioannes Brentius in Proleg. & Melanchton in locis cap. de magistrat. qui sentiunt, in causis etiam, & rebus Ecclesiasticis Clericos subiectos esse politicis tribunalibus. Verùm turpissimè errarunt Marsilius de Padua, & Ioannes de Landuno, qui affirmarunt, ipsum Dominum Iesum Christum non fuisse liberum à soluendis tributis, & non voluntate, sed necessitate soluisse tributum. Quæ doctrina non minus, immò magis est condemnanda, quàm doctrina recẽtiorum Hæreticorum. Semper hi duo præfati Authores erroneas, & falsas doctrinas seminarunt, quas condemnauit Ioannes XXII. in suis Extrauag. vt refert Turrecremata lib. 4. Summæ de Eccles. p. 2. c. 37.

Ex his etiam sequitur, Theologum quendam incognitum, & innominatum turpiter errasse in omnibus suis octo propositionibus, sed turpissimè in prima, dùm asserit, laicos Principes habere in omnes potestatem, & iurisdictionem sine vlla exceptione. Dolosè enim posuit illud (sine vlla exceptione) vt Clericos, & Episcopos in illis verbis complecteretur. Sed hunc errorem, & alios nonaginta in illis propositionibus cõtentos opportunius confutabimus in alia disputa-

sputatione; in qua quinquaginta quęstiones contra errores prædicti Theologi innominati excitabimus.

Et verò ex signis, & prodigijs, quæ sępè Deus ostedit aduersus eos, qui immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam temerariè ausi sunt violare, omninò declarabitur, quātòpere huiusmodi violatio Deo displiceat, atq; ingrata, immò molesta sit. Refert Balsamō in Nomocanone Photij in Commentario cam. 1. Synod. Constantinop. 1. & 2. quam nos latini octauam Synodum appellamus, Basilium Porphyrogenitum Græcorum Imperatorem causam omnium calamitatum eius temporis legi cuidam Nicephori Phocę prędecessoris sui contra Ecclesię libertatem latę tribuisse; *Ex quo*, inquit, *lex ista robur habuit, nihil boni prosperitatis in hodiernum vsque diem vitæ nostrę contigit, sed potius è contrario nullum omninò genus calamitatis defuit*. Itaque legem illam meritò irritam esse voluit, ac penitus abrogauit. Multa alia exempla huius rei leges apud Tilmānum Bredembachium lib. 5. sacrar. collat. & apud Baptistam Fulgosium lib. 1. cap. 2. de spręta religione.

Nunc nonnullę Theologi anonymi obiectiones soluendę sunt.

Nec enim Primò obstat, quod scribit D. Paulus c. 13. epist. ad Roman. nimirum: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potās, nisi à Deo.* Quæ verba etiam Clericos comprehendere respectu

pote-

potestatis secularis, demonstratur ex D. Chrysostomo, qui illa exponit sic scribens: *Facit hoc Apostolus, vt ostendat, Christum leges suas non adhoc induxisse, vt politias euertat, sed vt ad melius instituat; ostendens, quod ista omnibus imperentur, & Monachis, & Sacerdotibus, non solùm secularibus; id quod statim in initio declarat. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etiam si Apostolus sis, etiam si Euangelista, etiam si Propheta, siuè tandē quisquis fueris; neq; enim pietatem subuertit ista subiectio, & non simpliciter dicit, obediat, sed subdita sit.* Ex Chrysostomo verò eādem interpretationem mutuatus est Theophylactus, qui eisdem verbis vtitur scribens in eundem locum Pauli.

Respondemus enim, verba Apostoli esse generalia, & indefinita, & sic indefinitè, & generaliter intelligenda esse; ita vt prima illa Apostoli propositio verissima sit, etiam presupposita exemptione Clericorū; respectiuè enim intelligenda est, adeò vt omnis anima, hoc est, omnis homo, tàm laicus, quàm Clericus potestatibus sibi supereminentibus subdita sit: Clericus quidem suis Prepositis, & Prælatis, quibus etiam seculares in spiritualibus obedire tenentur, vt ipse Paulus ad Hebr. 13. declarat: Laicus verò quoad temporalia Regibus, & Principibus seculi. Sic Anselmus, quem sequitur Lyranus, hanc primam Pauli propositionem intelligit, non coarctans illam solū ad laicā potestatem; & rectè, quoniā de fide est,

ne

ne dùm clericos, sed etiam omnes fideles Prępositis suis Ecclesiasticis obtemperare debere in spiritualibus: *Ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris*, quas in custodiam susceperunt. Et est sermo, vt ait Anselmus, de spiritualibus agricolis, idest, de Prælatis Ecclesiæ; Nec solùm huiusmodi Præpositis obediendum est, sed etiam humiliter, ac reuerenter illis subiectos esse oportet. Theophylactus legit: *Obedite Præsidibus vestris*; & addit, Episcoporum mentionem Apostolum facere, eosque hic intelligere. Ita quoque hanc ad Roman. sententiam intelligit D. Bernardus epist. 183. ad Conradum Imperatorem, & Regem Romanorum: *Legi*, inquit, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistet. Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire, in exhibenda reuerentia summę, & Apostolicę sedi, & B. Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso seruari imperio.* Vocat hic D. Bernardus Summum Pontificem Vicarium Petri impropriè, cùm re vera, ac propriè sit eius successor, & Christi Vicarius, qui æternus Pontifex est, & sacerdotium habet in perpetuum; Sicut etiam eo nomine appellatur in can. Ego Ludouicus. dist. 63. & in can. Quoties. 1. q. 7. qui sumptus est ex D. Gregorio lib. 10. Registr. epist. 31. Quæ locutio, vt diximus, impropria est, vt etiam notauit Turrecremata lib. 2. in Summa de Eccles. cap. 40. & in dicto

can.

tan. Ego Ludouicus. num. 1. & solùm ob reuerentiam B. Petri aliquãdo, sed raro, à Patribus vsurpatur, nec est imitanda. Qua ratione S. Leo serm. 2. de anniuersario assumptionis suę etiam hæredem B. Petri se nominat. Quare, vt ad rem redeamus, rectè Ambros. in Cõm. eiusd. epist. ad Roman. sic legit hunc locum: *Omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote*: quasi hæc sublimior potestas non vna tantùm sit, sed duplex, laica nimirum, & spiritualis.

Licèt autem Apostolus hanc vniuersalem propositionem in principio eius capitis epist. ad Rom. adhibeat; prosequitur tamen ea, quæ ad potestatem secularem spectant, ponens exemplum de Regibus propter illius temporis instantem necessitatem, quæ id exigebat ad eorum opinionem remouendam, qui peruulgabant, religionem christianam, & Euangelij prædicatores negare leges politicas, Regumq; mandata obseruanda esse. Vnde Ambr. lib. 4. in Lucam, *Magnum quidem est, & spiritale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur esse subiecti, ne quis constitutionem regis terreni putet esse soluendam*. Et Anselmus Pauli verba luculentius explanans ait: *Sicut superius reprehendit illos, qui gloriabantur de meritis; ita nunc ingreditur illos redarguere, qui posteaquam erant ad fidem conuersi, nolebant subijci alicui potestati: Videbatur enim, quòd infideles Dei fidelibus non deberent dominari, et si fideles deberent esse pares. Quam superbiam remouet*

 dicens:

dicens: Omnis anima, id est, omnis homo, sit humiliter subdita potestatibus, vel secularibus, vel Ecclesiasticis sublimioribus. Et infra ait: *Et rectè admonet, ne quis ex eo, quod in libertatem vocatus est, factusq; Christianus, extollatur in superbiam, & non arbitretur in huius vitę itinere seruandum esse ordinem suum, & potestatibus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, non se putet esse subdendum. Cum enim constemus ex anima, & corpore, & quandiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium eiusdem vitæ vtamur: oportet nos ex ea parte, quę ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est, res humanas cum aliquo honore administrantibus: ex illa verò parte, qua Deo credimus, & in regnum eius vocamur, non debemus subditi esse cuiquam homini idipsum in nobis euertere cupienti, quod Deus ad vitam ęternam donare dignatus est. Siquis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, siue tributum, aut non esse honorem exhibendum debitum eis, quæ hæc curant, potestatibus, in magno errore versatur. Item siquis sic se putat esse subdendum, vt etiam in suam fidem habere potestatem arbitretur eum, qui temporalibus administrãdis aliqua sublimitate pręcellit, in maiorem errorem labitur. Sed modus iste seruandus, quem Dominus ipse pręcepit, vt reddamus Cęsari, quę sunt Cęsaris, & Deo, quę sunt Dei. Quamuis enim ad illud regnum vocati simus, vbi nulla erit potestas huiusmodi; in hoc tamen itinere conditionem nostram pro ipso rerum humanarũ ordine debemus*

tole-

tolerare, nihil ſimulatè facientes, & in hoc non tam hominibus, quàm Deo, qui hoc iubet, obtemperantes. Hæc omnia mutuatus fuit Anſelmus ex D. Auguſt. lib. Expoſit. quarundam propoſit. ex epiſt. ad Roman.

b Et iterum egregiè explicãs primã propoſitionem, quam ponit D. Paulus in eod. cap. 13. addit: *Itaque omnis anima ſit ſubdita ſublimioribus poteſtatibus, id-eſt, omnis homo ſit ſubditus primùm diuinę poteſtati, deinde mundanę. Nam ſi mundana poteſtas iuſſerit, quod non debes facere, contemne poteſtatem, timendo ſublimiorem poteſtatem. Ipſos humanarum rerum gradus aduerte. Si aliquid iuſſerit procurator, nonne faciendum eſt? Tamen ſi contra proconſulem iubeat, non utiq; contemnis poteſtatem, ſed eligis maiori ſeruire. Non hinc debet minor iraſci, ſi maior prælata eſt. Rurſus ſi aliquid proconſul iubeat, & aliud Imperator, nunquid dubitatur, illo contempto, huic eſſe ſeruiendum? Ergo ſi aliud Imperator, & aliud Deus iubeat, quid facimus? Nunquid non Deus Imperatori eſt præferendus? Ita ergo ſublimioribus poteſtatibus anima ſubijciatur, id eſt, homo.* Hæc ille. Vides quàm appoſitè dicendum ſit, quiſnam ſit pręferendus, quando aliud Imperator, & aliud Papa iubet. Certè illa eſt mundana, hęc diuina poteſtas; illa inferior, hæc ſuperior; licèt vtraque ſit à Deo ordinata, ideſt, rationabiliter à Deo diſpoſita, cum ordine tamen, & ſubordinatione. Et ſicut poteſtas ſpiritualis poteſtati temporali non aufert ſuum; cui enim tributum, tributum; & cui ve-

ctigal, vectigal &c. Sic nec potestas temporalis auferre debet, immò nec potest, quod est proprium potestatis spiritualis. Imperator enim in ea, quæ diuina sunt, vtputa basilicas, & personas Deo dicatas, nullum imperiale ius habet, vt D. Ambros. epist. 14. ad Marcellinam sororem. Qui enim aufert quod Deo est applicatum, peccat; qui id, quod Deo semel oblatum est, sibi vsurpat, peccat; qui Deo iniuriam facit, peccat; qui facit contra legem Dei, & Ecclesiæ, peccat.

Quærit autem D. Anselmus, cur Apostolus ponat animam pro homine, cuius rei affert triplicem rationem, *Vel quia*, inquit, *homo per animam discernit, cui subdi debeat, & cui non: Vel quia homo, qui promotione virtutum sublimatus est, anima vocatur à digniore parte; Vel quòd non solùm corpus sit subditum, sed anima, idest, voluntas, hoc est, vt non solùm corpore, sed & voluntate seruiatur.* Rectè quoque animaduertit, nequaquam posse fieri, nisi operatione solius Dei, vt tot homines vni seruirent, quem considerant vnius secum esse fragilitatis, & naturæ; Sed quia Deus subditis inspirat timorem, & obediendi voluntatem, contigit ita; nec valet quisquam aliquid posse, nisi diuinitus ei datum fuerit: Potestas omnis est à Deo.

Ad confirmationem ex interpretatione D. Chrysostomi, quam sequitur Theophylactus in eundem

locum

locum Pauli dicimus, verba Chrysostomi intelligenda esse iuxta generalem sensum ipsius Apostoli, ita vt quilibet homo, siue Monachus, siue Euangelista, siue Clericus, siue Laicus potestatibus praeeminentibus, siue Ecclesiasticis, siue Secularibus subditus sit respectiuè: Monachus nempè Ecclesiasticis Principibus, & Episcopis: Laici verò magistratibus, & Principibus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est. Atque hæc est mens Chrysostomi, & Theophylacti: Quod ex alijs verbis eiusdem Chrysostomi demonstratur, ait enim ibidem: *Christus leges suas fecit, non vt politias euertat, sed vt ad melius instituat.* Profectò in omni politia, Regno, Prouĩcia, & Republica benè instituta sacerdotes eorum, tanquam diuini numinis habitacula, à potestate seculari exemptos esse, superiùs ostẽdimus. Et quid aliud est, Christum politias seculares ad melius instituisse; nisi quod, sicut gratia perficit naturã, ita Christi lex seculares leges suis pręceptis, & ordinationibus complet? inter quas leges illa præcipua est, vt priuilegia Ecclesiarum, & Sacerdotum quoad immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam omninò seruentur. Ita scribit Anacletus in epist. 1. citans canonem 1. 72. & 73. Apostolorum his verbis: *Qui autem*, inquit, *pecuniam, vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit: Priuilegia enim Ecclesiarum, vt sacerdotum, sancti Apostoli iussu Saluatoris intemerata, & inuiolata æternis decre-*

decreuerunt manere temporibus. Portę enim inferi, hoc est, seculares potestates, & leges Deo contrarię, vt Theophylactus exponit, non prǫualebunt aduersus eam, Matth. 16.

Præterea Chrysostomus addit: *Neque enim pietatem subuertit ista subiectio*; Igitur si est aliqua subiectio, quæ pietatem, & religionem inuertat, qualis est illa, quæ personas Ecclesiasticas omninò potestati seculari subijcit, non erit comprehensa, vel intenta a Paulo.

Deindè verum esse dicimus, Apostolos, Euangelistas, Monachos, & Clericos, licèt non simpliciter, in aliquo tamen, & secundum quid esse Regibus, & Magistratibus subiectos, nempè quoad honorem: tenentur enim ex debito suum Regem honorare, iuxta illud Petri: *Regem honorificatę*: Quare in can. 74. Ecclesiastico Clementis legitur: *Siquis iniustè in Regem, aut Magistratum contumeliosus fuerit, soluat pœnas; si quidem clericus sit, deponatur; si verò laicus, excommunicetur.* Tenentur item orare, & preces fundere ad Deum pro Principum, ac Regum salute, & pace, pro Regni item tranquillitate, & Ciuium concordia, & obediētia erga eorum Principes. Tenentur item legibus secularibus obedire quoad directionem, non quoad coactionē, & prǫsertim quando leges non sunt contrarię sacris canonibus; & cum de eisdem rebus nulla extat canonica dispositiò; & præcipuè debent seruare ciuiles

leges

leges à politico magistratu latas in commercijs ciuilibus, & humanis, cum & ipsi Clerici sint ciues, & partes, seu membra politicæ Reipublicæ, aliàs magna cõfusio, & perturbatio in Republica orietur. Ita bene Soto in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. conclus. 4. Card. Bellarmin. in disput. de exempt. Cleric. cap. 1. proposit. 2. & alij. Sic B. Ambrosius epist. 15. ad Eugenium Imperatorem in fine scribit: *In his verò, in quibus vos rogaui, decet etiam me exhibere sedulitatem potestati debitam, sicut est scriptum est: Cui honorem, honorem: tributum, tributum. Nàm cum priuato detulerim corde intimo, quemodo non deferrem Imperatori? Sed qui vobis deferri vultis, patimini, vt deferamus ei, quem Imperij vestri vultis auctorem probari.*

Postremò esto, de facto aliquando Sacerdotes subiectos fuisse Regibus; hodie tamen nequaquam. Igitur hac ætate & de iure, & de facto asserẽdum est, à tributis, & subiectione laicali liberos esse Clericos, eorumque bona. Ita cognoscitur ex Principum legibus, quæ sunt in Codice Theodosiano tit. 2. l. 16. & 26. & in Codice Iustiniani l. Sancimus. de sacrosanct. Eccles. & in lib. 10. histor. Euseb. cap. 7. ex versione Christophorsoni, atq; etiam ex iure Canonico, videlicet ex Cõcil. Lateranen. 3. sub Alexãd. III. part. 1. cap. 19. & ex Concil. Lateranen. 4. sub Innocent. III. cap. 46. vt superius ex proprijs Conciliorũ verbis demõstrauimus; Itẽ ex cap. Ecclesia Sãctæ Mariæ. extra.

de

de constit. ex cap. Quamquam. de censibus in 6. ex cap. Quia nonnulli. & ex cap. Clericis. de immunitat. Ecclesiast. in 6. & ex Extrauag. Quod olim. de immunitat. Ecclesiast. Quocirca in hac re ita affirmãdum est, vt Principes seculares ideò exemptos fecerint Clericos, quoniam ęquitati naturali, & diuinę ordinationi id congruum esse existimauerint, quod deindè Summi Pontifices, & Cõcilia generalia suis decretis confirmarunt, & approbarunt. Origo igitur, & principium huius iuris est ex ipsa natura, & Dei nutu.

Audienda sunt hoc in loco verba Ambrosij in citata epist. 14. Marcellinę sorori scripta, vbi immunitatem Basilicæ, & Imperatoris limitatam auctoritatem describit: *Mandatur*, inquit, *Trade Basilicam. Respondeo: Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare; domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo: Noli te grauare, Imperator, vt putes te in ea, quę diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si uis diutiùs imperare, esto Deo subditus. Scriptum est; Quę Dei Deo, quę Cęsaris Cęsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesię. Publicorum tibi męnium ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur, Imperatorem mandasse, Debeo & ego vnam Basilicam habere. Respondi: Non tibi licet illam habere.* Qua igitur ratione Venetis licebit iurisdictiones

nes Ecclesiasticas rapere, vel auferre, suisque diuinis, & humanis priuilegijs Clericos spoliare?

Hùc accedat, Caluinum lib. 4. instit. cap. 10. §. 5. apertè fateri, hunc locum Pauli non solùm intelligendum esse de Principibus secularibus, sed etiam de Ecclesiasticis: Licèt tanquam mendax, & sibi non constans aliter scripserit super epist. ad Roman. Neque enim negari potest, aliquam Ecclesiasticam potestatem dari, & reperiri; vt docet D. Paulus 2. ad Cor. 13. *Secundùm potestatem, quam dedit mihi Dominus*. Quare D. Basilius de consti. Monast. c. 23. ex eisdem verbis D. Pauli ad Rom. c. 13: *Omnis anima &c.* etiam si solùm accipiantur de potestate seculari, efficax sumit argumentum à simili, vel à maiori ad confirmandam obedientiam erga Antistites: *Si igitur*, inquir, *qui mundo hic præsunt, & ex lege humana illam imperandi potestatem habuerunt, ijs diuina lex pietatis cultores voluit esse subiectos, & quod minus est, quorum vita tota tunc erat impietas: quàm magna tandem ei à pietatis cultore præstanda obedientia est, qui à Deo constitutus præses sit, & imperandi potestatem à legibus illis acceperit? & qui defendi potest, eum non Dei ordinationi resistere, qui Antistiti resistat suo; præsertim cum apertissimè Apostolus iubeat, omni in re parendum esse spiritualibus præpositis*, Hebr. 13: *Obedite enim, inquit, præpositis vestris, & subiecti estote eis*. Hæc, & alia Basilius.

Medina in 1. 2. D. Thomæ q. 96. art. 4. optimè scri

bit, quòd si D. Paulus tantùm loqueretur hoc loco de lege ciuili: ratio tñ Apostoli, qua parẽdum statuit, communis est, etiam potestati Ecclesię, cui in primis conuenit illud; *Non est potestas nisi à Deo*; Immò hæc propositio, *Non est potestas nisi à Deo*, ęquiualet huic, omnis potestas à Deo est, vel mediatè, vt Ciuilis, & tẽporalis, seu mundana; vel immediatè, vt Pontificia, & Spiritualis, seu Ecclesiastica in suo capite collocata. Lege quoque Pererium in cap. 13. ad Roman. disp. 1. Ac proindè fatendum est, eandem Ecclesiasticam potestatem à Deo esse, & suos proprios habere subditos, in quos debet exerceri: isti autem primo loco sunt Clerici.

Hęc paulò fusius circa solutionem huius obiectionis dicta sint, ad D. Pauli sententiam, & B. Io. Chrysostomi interpretationem illustrandam.

Nùnc ad alia transeamus.

Secundo enim nonnulli obijciunt, quę incautè Medina in Codice de restit. q. 15. contra hanc Ecclesiasticam libertatem opponit, nempè, in lege naturę omnés primogenitos fuisse sacerdotes, non tamen exemptos à potestate maiorum suorum: In lege scripta Leuitas etiam Moysi, qui Princeps erat ciuilis totius Populi Iudęorum, subiectos fuisse; sicut etiam in lege Euangelica Christum Pilato, iuxta illud Ioan. 19. *Nõ haberes potestatem in me vllam, nisi tibi datũ esset desuper.*

Sed facilis est responsio: Primogeniti namque in

lege

legę naturę, quod ignorauit Medina, non solùm erāt Sacerdotes, sed etiam Principes populorum, vt docet B. Hier. in quęst. hebraic. ad cap. 49. Genes. & Paraphrasis Chaldaica eodem in loco in benedict. Ruben. Et est communis hebręorum sententia. Cui igitur subdebantur, si erant superiores? Moysem verò non solùm fuisse ducem, vel Regem, sed etiam sacerdotem, ac proindè fuisse legitimum, & competentem Iudicem causarum Sacerdotum, & Leuitarum, nemo præter Medinam, & eos, qui ipsum sequuntur, ignorat. Fuit enim non solùm sacerdos, sed etiam legis sacerdos primus, ac summus, & Aaronic maior, quàmuis extraordinaria potestate inductus. Quare in psal. 98. dicitur: *Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius*; Immò ante ipsum Aaronem sacerdotali munere functus fuit septem ordinationum, seu consecrationum diebus, vt dicitur Leuit. 8. & 1. Paral. 27. Adde, quòd quadraginta illis annis, quibus in deserto rexit populum, etiam summas sacerdotales functiones egit, vt Rabbini docent: Quòcirca ab Abben Ezra dicitur Sacerdos Sacerdotum. Nàm populo quæstiones religionis decisit; Deo munera obtulit, & immolauit; Aaron, & filios eius iubente Deo consecrauit, & fędus sanxit sanguine; oblationes, & donaria Principum duodecim in tabernaculum, & in altare excepit. Ita Patres tradunt, Dionysius Areopagita de Ecclesiast. Hierarch. cap. 5. Nazianz. in orat. ad Gregor. Nissenum.

Hier. lib. 1. contra Iouinianum, August. in psal. 98. Atq; hinc Philo Iudeus libros suos de vita Mosis distributos in tres partes, regnum, leges, & sacerdotiũ ita concludit: *Atque hec fuit vita, obitusq; Mosis regis, legislatoris, vatis, & Pontificis, sicut sacris literis proditur*, videlicet Exod. cap. 40. & Leuit. 8. fuit enim proprium munus Pontificis adolere incensum Domino, vt patet ex lib. 2. Paral. cap. 26. De qua re legendus est quoq; D. Augustinus q. 68. in Exod. & q. 23. in Leuit. vbi ait: *Ambo summi Sacerdotes erant Moyses, & Aaron*. Caluinus lib. 4. instit. cap. 11. §. 8. his conuictus testimonijs dicit, id esse factum ad tempus, donec Aaron consecraretur. At in eadem quęst. 23. idẽ Augustinus hanc Caluini glossam falsam esse ostendit, affirmans eodem tempore ambos fuisse Pontifices. Quid, quòd ab ipso Moyse, vt Pontifice, depositum fuisse Aarõ, & in eius locum Eleazarum Aaronis filium cõsecratum, scribitur Num. 20? Hæc profectò clarissima sunt, quæ imperitos nouos Theologos reijciendos esse ostendunt, sicut etiam Couarruuiam, dùm tentauit falcem in alienam messem mittere. Christum autem non de iure, sed de facto solùm Pilato fuisse subiectũ, nec iudiciaria potestate, sed permissione dumtaxat diuina ab eo iudicatum fuisse, docent Chrysost. Cyrillus, & alij Patres.

Tertio obijciunt, quod distinctio fori nulla fuit in primitiua Ecclesia, nec ante Iustinianum Imperatorem,

rem, qui primus concessit, vt Prælati Ecclesiasticos iudicarent in causis ciuilibus. Vndè & Paulus ad Cęsarem appellauit.

Verùm constanter respondemus, ab exordio Ecclesiæ Christianos forum externum habuisse, vt ex D. Paulo 1. ad Cor. 6. nimis apertè habetur, videlicet, causas Christianorum non apud iniquos iudices, hoc est, Ethnicos, & infideles, sed apud sanctos, & Christianos cognoscendas, & decidendas esse. *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis, quoniam sancti de mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis secularia? secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Qua autem ratione D. Paulus ad Cęsarem appellauerit, Act. 25. 26. & 28. cum id non de iure, sed de facto fecerit, & ad Cęsarē, tamquam ad superiorem ordinarium, non suum, sed iudicis à quo, appellauit ob iniuriam ab illo sibi illatam: optimè declarat Turrecremata lib. 2. Summæ de Ecclesia cap. 96.

Præterea ex alio loco Pauli idem habetur, nimirū ex 1. ad Cor. 4. vbi Apostolus ait: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Per virgam August. lib. 3. cap. 1. cōtra epist. Parmeniani. D. Chrysost. & alij interpretes huius loci intelligunt potestatem

tem iudiciariam puniendi peccatores, & delinquentes, etiā ī foro exteriori: habet enim Chriſtus, vt Rex Eccleſię, virgā ferream, ſeu inflexibilem. pſal. 2. atque etiam virgam directionis, pſal. 44. hoc eſt, ex phraſi hebraica, virgam rectitudinis; quia iuſtè iudicat, & punit & hanc virgam communicat etiam cū Epiſcopis, qui ſuo nomine Eccleſiam regunt. Vndè Paulus Elimam excęcauit, & Petrus Ananiam. & Sapphirā verbo occidit. Ex hoc loco citato Pauli B. Auguſt. lib. 2. de conſen. Euang. c. 30. cōciliat apparentē quandā cōtradictionē Matthęi, & Marci. Matthęus enim c. 10. dicit Apoſtolis mandatum fuiſſe, ne ferrent virgam. Marcus verò c. 6. ſcribit fuiſſe mādatum, vt ferrent. *Matthęus* (inquit Auguſtinus) *loquitur de virga corporali, Marcus de ſpirituali, hoc ē, de pōtate Apoſtolica, ob quā alimēta, & bona tēporalia Apoſtolis, eorūq; ſucceſſorib. à populo debebātur. Quēadmodū enim Regi propter regiā virgā tributa debentur, ita Epiſcopo propter ſimilem virgam decimę debētur, & harum iudicium, ſicut etiam omnium aliorum bonorū Eccleſiaſticorum, ad illum ſpectat.*

Deindè eſt apertiſſimus locus 1. ad Timoth. 5. *Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Hìc apertiſſimè docet Apoſtolus, Epiſcopum habere ſuum forum, ſeu tribunal externum, ſeu contentioſum, etiam extra forum conſcientię, & more Iudicum accuſationes, & probationes audire, & ſecundùm allegata, & probata iudicare.

re.

re. D. Chrysostomus hoc in loco per presbyterum intelligit quendam hominem seniorem, siue laicum, siue sacerdotem; ex quo, vt benè inquit Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice. cap. 16. intelligimus, etiam laicos in foro exteriori propter aliqua crimina ab Episcopo iudicari. D. Ambrosius rectiùs nomine presbyteri sacerdotem intelligit. Nec ob id laici à foro Episcopi excluduntur: vult enim Apostolus dicere (teste eodem Ambrosio) faciliùs accusatores admitti aduersus laicos, & audiri posse, quàm aduersus presbyterum, cuius accusatio, & querela propter ordinis dignitatem admitti, & audiri non debet, nisi adsint duo, vel tres testes. Quare Anacletus in sua epistola decreuit, ne Christiani, qui inter se negotia, & lites habent, apud cognitores sęculi, hoc est, Gentiles, iudicentur. Et Apostoli apud Clementem lib. 2. de const. Apost. cap. 46. prohibent, ne gentes cognoscant controuersias Christianorum, nec ad dicendum testimonia contra illos admittantur. Habetur quoque decretum eiusdem Anacleti de accusatoribus, & testibus reijciendis, & iterum aliud decretum de cau sis secularibus à laicis pręsente Episcopo in Ecclesia iudicandis. Quæ omnia fusiùs legas apud Turrianũ lib. 5. pro epist. Pont. cap. 24. Constat autem, Anacletum longè ante tempora Iustiniani fuisse, fuit enĩ vicinus temporibus Apostolorum. Ex multis quoq; Concilijs tùm generalibus, tùm prouincialibus à se-

de

de Apostolica approbatis, quę ante tēpora Iustiniani Imperatoris celebrata fuere, idem omninò absque vlla ambiguitate cognoscitur, vt ex celeberrimo illo Concilio Chalcedonensi can. 9. & habetur 11. q. 1. *Si clericus aduersus clericum habet negotium, non relinquat suũ Episcopum, & ad secularia iudicia non concurrat, sed prius negotium agitetur apud proprium Episcopum. Vel certè si fuerit negotium ipsius Episcopi, apud arbitros ex vtraque parte electos audiatur negotium. Siquis verò contra hoc fecerit, canonum correctionibus subiaceat. Et si clericus aduersus suum, vel alium Episcopum habeat causam, apud audientiã Synodi Prouincię conqueratur; Si verò contra ipsius Prouinciæ Metropolitanum Episcopum Episcopus, siue Clericus habeat controuersiam, pergant ad ipsius diœcesis Primates, aut certè ad Constantinopolitanæ Regię Ciuitatis sedem, vt eorum ibi negotium terminetur.*

Idem cognoscitur ex Concilio Agathensi can. 23. quod etiam ante tempora Iustiniani celebratũ fuit, & habetur ead. 11. q. 1. vbi sic legitur: *Clericum nullus præsumat apud secularem iudicem Episcopo non permittente pulsare, sed si pulsatus fuerit, non respondeat, vel proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere.*

Idem quoque apertè deprehenditur ex Concil. 3. Carthaginensi can. 9. & habetur eadẽ causa, & quę st. can. Placuit. vbi sic legitur: *Placuit, vt quisquis Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum, seu clericorum, cum*

in

in Ecclesia crimen fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si derelicto Ecclesiastico iudicio publicis iudicijs purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat. Et alia, quæ sequuntur &c.

Idem habetur in Concilio Mileuitano celebrato sub Innocentio I. can. 19. vbi sic in eadem causa, & quæstione legitur: *Placuit, vt quicumque ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.*

Quod etiam sancitum fuit in Cōcilio Romano sub Syluestro I. vt habetur in eadem causa, & quæstione can. Si quis clericus.

Quæ omnia per multa sęcula ante Iustinianum Imperatorem sancita fuere.

Postremò lex coactiua ab Apostolis, & Episcopis eorum successoribus constitui potuit, ac de facto multę huiusmodi leges cōstitutę sunt: pręter enim legem Euangelicam multę alię leges Ecclesiasticæ in Ecclesia necessarię fuerunt, quę sunt velut cōclusiones, vel determinationes deductę ex principijs Euangelij, vt de tempore ieiuniorum, seruandi dies festos, sumendi Eucharistiam, & similia: Atqui omnis legis essentia in hoc posita est, vt vim habeat ligandi, & cogendi, & consequenter puniendi transgressores, quod sine foro, & tribunali nequaquam rectè fieri potest. Quare Aristotel. lib. 10. Ethic. cap. 9. bene ait: *Lex est ser-*

mo ab aliqua prudentia, & mente profectus, vim habens cogendi.

Absolutè igitur loquendo falsum est, distinctionem fori in primitiua Ecclesia nullam fuisse, cum id apertè doctrinæ D. Pauli repugnet: Verum est tamen, in exordio Ecclesiæ non adeò manifestum fuisse forum Ecclesiasticum, nec adeò frequens eius exercitium, cum Apostoli, & primi illi Episcopi carerent Curia seculari, & satellitibus, per quos illam iurisdictionem externam exercerent; quocirca in eorum adiutorium, defensionem, ac auxilium, & in executionem propriæ potestatis, ad auxilia Principum secularium confugiebant; auxiliumque brachij secularis implorari cœptum fuit à tempore Constantini, vt notauit B. Augustinus Epist. 50. cùm antea nullus esset ferè Princeps Christianus, qui inuocari posset. Vbi autem res Christianorum vires, & incrementa accepit, ipsimet Imperatores sanctissimis Episcopis multa quoad eorum forum exterius concesserunt, etiam quoad laicos, vt videre est in Constitutionibus nouellis Iustiniani Imperatoris 79. 83. & 123. In constitutione autem illa nouella citatã ab innominato quoque nouo Theologo 85. nihil de hac re tractatur, & profectò sicut nec illam legit, sic nec aliã quę in illo suo opusculo adducit. Certe Apostoli ab initio Ecclesias gubernarunt, quo tempore nulli erant Principes, vel Impe

ratores

ratores Christiani, ac proindè ad illos causam Ecclesiæ iudicandam nunquam detulerunt; Si enim Apostolus 1. ad Cor. 6. præcipit, ciuiles lites Christianorum non deferri ad Ethnicorum iudicium; quomodo permisisset, lites Ecclesiasticas ad eos referri? igitur diuersum tribunal extabat. Lege Nouellam Iustiniani 83. vbi idem affirmat. Quare in ea constitutione, quæ numero est 85. nihil tale habetur. Est autem piorum Principum munus Ecclesiā defendere, blasphemos, sacrilegos, & hæreticos ab Ecclesia damnatos coercere, vt docet D. Augustinus epist. 48. & 50. & 165. Custodes item esse legum diuinarum, sed nō interpretes. Vndè Ambros. epist. 11. ad Valentinianum dixisse legitur: *Cum omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, vobis militent Imperatoribus terrarum, atq; Principibus; tùm ipsi vos Omnipotenti Deo, & sacrę fidei militatis.*

Notat Turria. lib. 3. pro epist. Pont. cap. 11. tēpore D. Pauli, & Anacleti, in iudicio causarum secularium opus fuisse authoritate Episcopi, qui præerat in iudicio secularium magistratuum in causis laicorum, vt qui non pareret sententiæ, gladio ignis, hoc est, excommunicationis feriretur, cum propter Ethnicos Imperatores Ecclesia nō posset vti alio gladio, quàm anathematis: nec enim illi passi fuissent, iudices christianos, etiam laicos pęnam corporalem, vel pecuniariam infligere in iudicio, sententia, vel præcepto.

Lege Clementem lib.2. Constit. cap. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. & 57. vbi plura de iudicio Ecclesiastico exercendo ex constitutionibus Apostolorum statuit, & Ambrosium 1. ad Cor. 6. & Chrysostomum hom. 16. in eund. loc.

Obijciunt quarto, Principes temporales appellari à Dauide Deos, psal. 81. *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem Deos diiudicat*: appellantur autem Principes seculares Dij, quoniam non hominum, sed Dei iudicia exercent, vt dixit Iosaphat. 2. Paralip. 19. & Ioan. 10. Christus loquens de Principibus secularibus, ait: *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est*.

At non negamus, Principes seculares in scripturis dici Deos, sicut etiam necessario fatendum est, in eisdem scripturis Sacerdotes, Prępositos, & Episcopos Deos quoq; appellari; sic D. Hieronymus necessario deducit ex verbis Christi Matth. 16. *Quem dicunt homines esse filium hominis? Attende*, inquit, *prudens lector, quod ex consequentibus, textuq; sermonis Apostoli nequaquam homines, sed Dij appellantur; si enim laici, cum Dei iudicia exerceant, & loco Dei iudicent, rectè Dij appellantur; quanto magis Sacerdotes, & Episcopi, qui Deo proximiores sunt, diuinaque munera, & voluntatem populis explicant, dij appellandi erunt? qui vos, enim inquit Dominus, tangit, me tangit; qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*. Ita quoq; D. Gregorius Sacerdotes Deos appel-

lat

latin epistola ad Mauritium Imperatorem;& cum Sacerdotium Euangelicum sit omni Regno temporali excellentius, profectò magis, & eminentius huiusmodi sacerdotibus, quàm Regibus, nomen Dei attribuitur. Sed obseruandum, Principes seculares dici Deos respectu ipsorum Principum, & Regum. Qua ratione Magnus Constantinus loco superius citato, etiam respectu sui ipsius Deos Episcopos appellauit; nec enim, qui potestatem secularem exercent, animis sunt præpositi, sed corporibus tantùm; hac enim ratione gladium portant pro custodia, nempè corporum, in vindictam malorum, laudem verò bonorum. Quamobrẽ apud Græcos differunt nomine Principes temporales à præpositis spiritualibus; vocantur enim illi, *exusiæ*, hi verò, *igùmeni*, quasi duces, & præeuntes: *vere eorum exemplo forma facti gregis*. 2. Pet. 5. & 1. ad Timoth. 4. Nec enim Dominus super familiam suam dispensatorem constituit Principem secularem, vel ciuilem aliquem Ducem, sed Oeconomum fidelem, ac prudentem, Episcopum nempè, qui mensuram tritici familiæ Christi in tempore famis distribuat, hoc est, verbũ Dei, ac leges Ecclesiasticas proferat, pro loci, & temporis opportunitate. In qua Beati Lucæ parabola docuit Dominus, Episcopos, & Sacerdotes nõ à seipsis, sed à Christo constitutos esse super Principes, & magistratus seculares, tanquàm Deos, & Præpositos, interpretes diuinæ legis, Consiliarios voluntatis Dei, &
dispen-

dispensatores mysteriorum Dei, vt etiam ex Cyrillo doctè colligit Turrianus lib. 5. pro epist. Pontif. cap. 9. Atque vt nomine distinguuntur, ita facultates, actus, & obiecta, ac fines vtriusque potestatis diuersa sunt; etenim regna, & potestates seculares, licèt sint à Deo, non sunt tamen ab eo immediatè institutæ, sed per homines, seu ab hominibus, à quibus vis regendi in vno, vel in pluribus, determinatis tamen, vt accidit in Republica, constituitur; quocirca ab illis mutari possunt in alias formas regiminis; At potestates Ecclesiasticæ à Deo immediatè institutæ sunt, ac proindè non possunt ab hominibus mutari. Finis illarum est bonum regimen temporale, multitudinis quies, & tranquillitas populi, rerum temporalium abundantia, & huiusmodi; At finis facultatum Ecclesiasticarum est promotio hominum ad virtutem, & ad vitam ęternam; Actus, ac obiecta ambarum facultatum diuersa esse, per se patet. Diuisit autem Deus Pontificiam auctoritatem ab imperiali, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Imperiales leges pro cursu temporalium rerum dumtaxat Pontificibus inseruirent, vt scribit Nicolaus I. in Epistola ad Michaelem Imperatorem versus finem. Pontificibus auté, & Episcopis Deus commisit suum depositum custodiendum, nimirum sacramentorum, doctrinæ Euangelicę, regiminis Ecclesiastici, salutis animarum, diuini

uini cultus, Ecclesia sacrorum priuilegiorum, & similium, iuxta illud Pauli 2. ad Timoth. 1. *Bonum depositum custodi*. Sic Cyrillus interpretatur illud Isa. 52. *Vox custodientium exaltata est*, seu, vt vulgata legit, *Vox speculatorum tuorum leuauerunt vocem*. Nunquid custos Ecclesiæ Dei erit Dux, vel Princeps? Nunquid dispẽsator thesauri Christi magistratus, vel profanus Princeps? Erunt ne hi animarum rectores, & curatores? Sanè potestatibus sęculi custodia tantum corporum cõmissa est, secundum Apostolorum constitutiones; hi custodiæ carnis tantum pręsunt; hi seculi iudices sunt, & cognitores causarum secularium. Præsulibus verò Ecclesiarum animę, quę peculiariter sunt Dei, committuntur, ac proindè eorum potestas pręeminet, & dominatur seculari, sicut anima corpori, spiritus carni, ratio sensui, domina ancillæ, & hera pedisequę, quę etiam, cũ reluctatur spiritui, castigari, & in seruitutem redigi debet ab ipsamet anima, quę corpori dominatur.

Obijciunt quinto illa alia verba D. Pauli 13. ad Roman: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*; Igitur Principes seculares habent ius, & facultatem cõdendi leges circa omnem materiam, ita vt obligent omnia genera personarum, etiam Ecclesiasticarum, Vnde in Prouerb. dixit Salomon: *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*.

Sed huic argumento respondendum est breuiter,

ne

ne eadem sępius repetamus:nam concesso antecedenti,negatur consequentia: potestas enim Ecclesiastica est à Deo ordinata,vt probatum est, & consequenter qui ei resistit, Dei ordinationi resistit; & illa alia Principum,tanquàm temporalis, & inferior, non solùm debet huic cedere,sed etiam ab ea corrigi,& moueri, tanquàm ei subiecta,& subdita. Vnde lex Imperatoria abrogatur per Pontificiam,vbi materia legis animarum periculum concernit,sicut videre est in lege de præscriptionibus 30.vel 40.annorum, etiam cum mala fide,quę habetur in Codice,cum huiusmodi lex sine peccato mortali seruari non possit, vt etiam tradit glossa cap. Possessor.de reg. iur. in 6. Sic Papa potest quęlibet statuta cuiuscunque Reipublicæ abrogare,& annullare,& nulla esse declarare, quæ sine mortali peccato, & animarum periculo obseruari nequeunt;qualia sunt omnia illa statuta, vel decreta,quæ contra libertatem Ecclesiasticam directè,vel indirectè militant,quæ à Deo nequaquam sunt, cum iniusta,& iniqua sint.

Quatuor autem conditiones necessariò requiruntur,vt lex sit iusta. Primo authoritas in ferente: nemo enim potest ferre legem in sibi non subditum. Secundo, vt feratur propter bonum commune, quod est finis legis; in quo differt Rex à Tyranno, qui propria commoda quęrit, vt tradit Aristoteles lib. 8.Ethicorum. Tertio ex parte materię requiritur, vt non

nō pręcipiatur vitium, nec prohibeatur virtus. Quartò ex parte formæ oportet, vt debito ordine, & modo constituatur, & promulgetur. Est autem hoc in loco obseruandum, vt rectè notauit D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4. Soto lib. 1. de iust. & iur. q. 6. art. 4. & Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 15. quòd licèt lex iniusta non obliget ex vi sua in conscientia subditos; tamen de legibus distinguendum est. Quę enim sunt iniustę ratione materię, nempè, quę diuino iuri, siue naturali, siue positiuo sunt contrarię, vt sunt decreta facta contra libertatem Ecclesiasticam, nequaquàm obligant, nec debent vllo modo seruari, iuxta illud Actor. 5. *Oportet magis Deo obedire, quàm hominibus*. Id quod etiam docet Hieronymus in cap. 6. ad Ephes. August. in psal. 124. & serm. 6. de verb. Domini, & Bernardus lib. de præcept. & dispensat. At quæ sunt iniustæ ex parte finis, vel authoris, vel etiam formæ, seu modi, seruandæ sunt, quando sequeretur scandalum, si non seruarentur, vt innuitur in prima epist. Petri cap. 2. *Serui subditi estote Dominis, non solùm bonis, & modestis, sed etiam discolis*; ita in simili decidit D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 6. ad vltimum.

Obijciunt sextò, Christum neminem voluisse iudicare; vndè dixit Lucæ cap. 12. *Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Iudicia igitur causarum ad aliud tribunal spectant, quàm Ecclesiasticum.

Respondemus, non negare Christum in illis verbis, *Quis me constituit &c.* absolutè potestatem suam; quã saltem, quia Deus erat, in quocunque negotio, & super omnes homines habebat, qua etiam vsus fuit, quando expedire hominum saluti nouit, vt cum adulteram iudicauit, & liberauit; Sed negat, petentis arguens auaritiam, & cupiditatem, se esse constitutum, & deputatum Iudicem ad terrenas hæreditates diuidendas, & adiudicandas, cùm præcipuè venerit ad opus nostrę salutis exequendum. Vndè Ambrosius ait: *Benè terrena declinat, qui propter terrena descenderat; nec iudex esse dignatur litium, & arbiter facultatum, viuorum habens, mortuorumq; iudicium, arbitriumq; meritorum.* Falsum est igitur, Christum neminem iudicasse, hac enim potestate Dominus vtebatur, quando ipse volebat, non pro voluntate, & arbitrio petentium; & quando nouerat, ita animarum saluti expedire, vt Euth. & Basil. in mor. reg. 70. c. 29. & Aug. ser. 196. his verbis docet. *Sed audiamus & iudicantem, & docentem: Homo, ait, homo, qui enim pro magno habes istam hęreditatem, quid es nisi homo? volebat illum facere aliquid, plus quàm est homo. Quid plus illum volebat facere, cui volebat auaritiam tollere? Quid plus eum volebat facere? Dico vobis: Ego dixi, Dij estis vos, & filij excelsi omnes. Ecce quid eum volebat facere, inter Deos numerare; qui auaritiam non habent.* Falsum quoque est; quòd isti noui Theologi cũ hæreticis nostri temporis consentientes intẽdunt ex

hoc

hoc loco deducere, nempè Prælatos Ecclesiasticos nō dēre se miscere, vel ingerere negotijs secularibus, temporalibusq; causis discernendis; sed gurbenationem Ecclesiasticam à politica separandam esse, abutentes lōco illo Paul. 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*. Et illo Act. 6. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis*. At verò Principatū Ecclesiasticum rectè posse in eadem persona esse cum Principatu politico, nec cum copugnare, vel ei esse contrarium, probatur exemplo Apostolorum, præcipuè Pauli, & Barnabæ, qui ad petitionem Petri, Iacobi, & Ioānis collectas pecunias ad seniores in Hierusalem tulerunt. Act. 11. licèt prædicationi incumberent. Quod & historiæ certissimæ summorum, ac sanctissimorum Pontificum, & Episcoporum docent, & alibi à nobis fusius probandum relinquitur. Nūc autem dicimus, Dominum non reiecisse munus illud iudicandi, tanquàm non consentaneum muneri prædicatoris, & ministri verbi Dei, vt perperàm censuit Caluinus lib. 4. Instit. cap. 11. §. 9. id enim nunquàm Apostolis Christus prohibuit: Sed voluisse ostendere, sé non agere personam deputati, & constituti iudicis ad huiusmodi profanas causas decidēdas, cum à patre non ad hoc peragendum missus esset. Voluit præterea per illam sententiam, *Quis me constituit iudicem &c.* admonere Pontifices, & Episcopos, ne ita vilibus, & infimis causis occupati essent, vt majo-

ra prætermitterent; præcipuamq; curam illorum positam esse debere in administratione spiritualium, & à temporalibus negotijs cessandum esse, quando impedimento sunt, ne spiritualia administrentur. Sic etiam Iethro Exod. 18. cum vidisset Moysem à mane vsque ad vesperam sedere ad iudicandum populos, *Stulto*, inquit, *labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est; vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere*; cõsuluitq; illi, non vt politicum Principatum dimitteret, & solum Ecclesiasticum retineret, sed vt minores iudices constitueret, qui in leuioribus rebus populo satisfacerent, & grauiora quæque, tàm Ecclesiastica, quàm politica ad se referrent. Neque id vetuit Paulus dicens. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*; cum hoc in loco per negotia secularia non regimen politicum, sed solicitudo, & cura parandi ea, quę ad victum pertinent, intelligatur, nimirum mercimonia, negotiationes, & similia, vt ex græco textu cognoscitur; vbi legitur, *tu viu pragmatias*, ideſt, negotijs vitæ, seu victus. Insuper obseruandũ, Paulum in illis verbis non prohibuisse regimen politicum, sed tantùm nimiam solicitudinem circa corporis curam, & commoda corporalia. Aduertendum præterea, hæc Pauli verba nõ solùm Episcopis, & Clericis directa esse, sed alijs hominibus, etiam laicis, etiam regibus; hi enim omnes aliquo modo Christi milites sunt, & laborare debet vnusquisque eorũ,

sicut

ficut bonus miles Christi; At miles bonus nequaquã solicitus est circa victum, & commoditates corpora- les; sed multa corporis incommoda patitur, vt ex pro- fesso militiæ incumbat. Ad hæreticorum autem con- fusionem verba D. Augustini in lib. de opere Mona- chorum cap. 29. hoc loco audienda sunt, quibus do- cet, Paulum, ceterosq; Apostolos, cum per mundi par tes discurrerent, nec alicubi fixam stationem habe- rent, non suscepisse quidem hanc prouinciam decidẽ- darum causarum; tamen in suis epistolis do- cuisse Paulum, huiusmodi negotia à Prælatis Ecclesiasticis amplexanda esse, & præsertim 1. ad Cor. 6. *Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare?* verba Augustini sunt ista: *Agnoscite labores occupationum nostrarum, & in aliquibus nostrorum etiam corporum infirmitates, & Ecclesiarum, quibus seruimus, consuetudinem, vt nos ad illa opera, ad quæ vos hortamur, vacare non sinant. Quanquam enim dicer possimus, Quis militat suis stipendijs vnquàm? Quis plan tat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem & de lacte gregis non percipit? tamen Dominum Iesum, cuius nomine securus hęc dico, testem inuoco super animam meam, quoniam, quantum attinet ad meum commodum multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monasterijs constitutum est, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum liberas, quàm tumultuosissimas*

ſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotijs ſecularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis, quibus nos moleſtijs idem affixit Apoſtolus, non vtique ſuo, ſed eius, qui in eo loquebatur, arbitrio: quas tamen ipſum perpeſſum fuiſſe non legimus; aliter enim ſe habebat Apoſtolatus eius diſcurſus. Nec dixit, ſecularia iudicia ſi habueritis, ad nos deferte, aut nos conſtituite ad iudicandum, ſed eos, qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, hos, inquit, collocate; ad reuerentiam vobis dico. Si non eſt inter vos quiſquam ſapiens, qui poſſit inter fratrem ſuum iudicare, ſed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infideles: ſapientes ergò, qui in locis conſiſtebant, fideles, & ſanctos, non qui hàc, atq; illàc propter Euangelium diſcurrebant, talium negotiorum examinatores eſſe voluit. Vnde nunquam de illo ſcriptum eſt, quod aliquando talibus vacauerit, à quibus nos excuſare non poſſumus, etiam ſi contemptibiles ſimus; quia & hos collocari voluit, ſi defuiſſent ſapientes, potius quam negotia chriſtianorum deferrentur in forum. Quem tamen laborem non ſine conſolatione Domini ſuſcipimus, pro ſpe vitæ æternæ, vt fructum feramus cum tolerantia: ſerui enim ſumus eius Eccleſiæ, & maximè infirmioribus membris, quantalibet in eadem Eccleſia membra ſumus. Hactenus Auguſtinus.

Obijciunt ſeptimo ab Othone I. Imperatore Chriſtiano propria auctoritate Ioannem Papam XII. depoſitum eſſe, & Carolum Magnum ex conceſſione Adriani Papæ ius habuiſſe eligendi Romanum Pontificem, & ſimiliter Othonem I. à Leone VIII. vt legitur

ghirdelli.63.can. Adrianus. & can. In Synodo. Igitur exemptio Clericorum non est de iure diuino, cum ipsemet Põtifex electioni, & depositioni ab Imperatore factæ subiectus fuerit. Adde quod in can. Nos si incompetenter. 2. q. 7. Leo IIII. à Ludouico Imperatore iudices petijt, quorum sententiæ se obtemperaturum promisit.

Sed cæci sunt, & duces cæcorum; quòcirca mirandum non est, si in foueam, immò in abyssum errorum iterum, atque iterum præcipitanter cadant. B. Antoninus 2. parte. tit. 16. §. 16. & Otho Frisingensis lib. 6. cap. 23. historiam Othonis I. Imperatoris scribũt, & hic modestè taxat Imperatorem, quòd illicitè fecerit huiusmodi depositionem: *Vtrum*, inquit, *licitè fecerit, vel ne, non est huius temporis dicere*; Cum neque id Synodus Episcoporum, etiam generalis, facere posfit, nisi in casu hęresis, quo vitio Ioãnes XII. non laborabat: Ex facto autem malo, iniquo, vel iniusto nemini ius acquiri, commune est Theologorum, & Canonistarum axióma; nec exemplis, pręsertim malis, sed legibus iudicandum est l. Nemo. C. de sent. Turrecremata in Summa de Eccles. lib. 2. cap. 103. refert, in quibusdam historijs legi, hunc Ioannem non fuisse depositum, sed ad admonitionem Othonis, & Collegij Cardinalium, ac Cleri Romani renunciasse Papatui; Et sic argumentũ obscuri Theologi omninò euanescit. Sanderus lib. 7. Monarchiæ, & Maturus in

addit.

addit. ad B. Antoninum referunt ex probatis Authoribus, præfatum Ioannem à Deo, qui solus summi iudicis Iudex est, subito in medijs ferè fluctibus ex hac vita sublatum fuisse. Constanter igitur negãdum est, ab Othone depositum fuisse Ioannem XII.

Similiter respondemus, nec Adrianum, vel Leonẽ, nullumque alium Summum Pontificem priuilegium Imperatoribus concessisse, vt eligerent Romanum Pontificem. Qua in re Gratianus deceptus est, vt clarissimis documentis probat Card. Baronius tom. 9. Annalium. Verùm ad summum nonnullis Imperatoribus concessum fuit, vt ad tollenda scandala, & perturbationes, quæ frequenter illis temporibus emergebant, & ad schismata reprimenda, quæ tunc vigebant, vel imminebant, electioni Summi Pontificis assisterent; ac præsto essent, tanquam trãquillitatis Ecclesiæ defensores; Quo etiam nomine illis concessefunt, vt ordinarent Romanam Ecclesiam, quoad temporalem principatum.

Nec electio, vel confirmatio propriè Summi Pontificis illis vnquam concessa fuit, vt optimè declarat Turrecremata super Decreto dist. 63. quęst. a. num. 2. can. Adrianus. cum nullũ ius electo in Papam darent, nullamque potestatem administrandi, quam immediatè à Christo recipit electus in Papam independenter ab omni Angelica, & humana creatura; neq; hæc potest conuenire Imperatori, aut cuicunque laico, non

non modo respectu Papæ, sed nec respectu cuiuscunque Prælati Ecclesiæ. Minus verò propriè sumpto nomine confirmationis, videlicet, pro robore, quo aliquod factum, aut dictum roboratur ex aliorum approbatione, non incongruum est concedere, Imperatores aliquando electionem Papæ confirmasse, quoniam eorum approbatione, & acceptatione sic illam roborabant, & firmabant, ac certam demonstrabant, vt schismatici, & hæretici non auderent contrauenire; & hæc confirmatio minus propriè, non semper ad superiorem, sed quandoq; ad ęquales, & inferiores spectat; Et sic ad Imperatores spectasse concedi potest.

De Leone IV. dicendum est cum Turrecremata in Comment. illius can. Papam sua sponte causas quasdam ciuiles, & temporales non coactiuo, sed tantùm discretiuo iudicio pro bono pacis iudicibus ab Imperatore petitis commisisse, & iudicio, hoc est, discretioni, non autem iurisdictioni, vel potestati Imperatoris illas delegasse, vt ibidem Vincentius, & Archidiaconus benè notant, & D. Thomas 2.2.q.67.art.1. ad 2. Et promisit se pariturum, quia (vt ibidem inquit Caietanus) iudicium illud ex suppositione transit in necessitatem iustitiæ, licèt non transierit in necessitatē potentiæ, cum potuisset commissionem reuocare.

Objiciunt octauo dictum Constantini Imperatoris, *Vos à nemine iudicari potestis, quia ad Dei iuditium reseruamini*, vt habetur in can. Futuram. 12.q.1. fuisse

per excessum pietatis, & benignitatis erga Ecclesiam prolatum, non tamen secundùm veritatem, nec quia ipse ita vere sentiret; aliàs nec Ecclesiastici à suis Prælatis iudicari possent, cum dicat, *ad Dei iudicium reseruamini*.

Sed facillimè respondetur. Dicimus enim, reperiri in historijs multa dicta Constantini, quæ maximè immunitati Ecclesiasticarum personarum fauent, & illa singula verissima esse, vt Authores, qui ea referunt, affirmant, & nos iterum, atque iterum constanter defendimus.

Eusebius lib. 3. de vita Constantini scribit, duo Imperatorem fecisse in eodem Concilio, vnum in initio, alterum in fine, quæ maximè eius religionem in ordinem Ecclesiasticum declarãt. Initio Niceni Cõcilij non prius assedit, quàm Episcopi, vt sederet, annuissent, Finito verò Concilio epistolam omnibus Ecclesijs scripsit, quam Eusebius ibidem integram ponit, in cuius fine sic loquitur; *Quę cum ita se habeant, libentibus animis hoc decretum Concilij, tanquam donum Dei, & mandatum re vera cęlitus demissum amplectamini. Nam quicquid in sanctis Episcoporum Concilijs decernitur, id vniuersum diuinæ voluntati debet attribui.*

B. Ambrosius epist. 32. *Constantinus*, inquit, *nullas leges ante pręmisit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus.* Idem habetur apud D. August. epist. 162.

Extat rescriptum Magni Constantini ad Ablauiũ, in

in quo Imperator decernit, Episcopos esse competentes, & legitimos Iudices inter negotia, & causas etiã laicorum, habereq; in illis quoad cęteros omnes alios Iudices pręuentionem, eorumq; sententiam firmã, & ratam esse statuit. Hanc constitutionem refert Cardinalis Baronius tom. 3. fol. 115.

Idem Eusebius in vita Constantini lib. 4. cap. 27. amplissimam iudiciariam potestatem Episcoporum à Constantino eis traditam, sic describit: *Jam quæ ab Episcopis in publicis conuentibus editæ erant regulæ, sua cõsignabat, & confirmabat authoritate, ne reliquarum gentiũ Principibus liceret, quæ ab eis decreta essent, abrogare; cuiusuis enim iudicis sententiæ sacerdotum Dei iudicium anteponendum esse.*

Sozomenus lib. 1. cap. 9. de eadem re sic scribit: *Illud est planè maximum reuerentiæ Imperatoris erga Religionem argumentum; quod Clericos vbique per legem eam ob rem conditam immunitate donari voluit, quodque illis, qui erant in iudicium vocati, dedit potestatem, si modo animum inducerent, magistratus ciuiles reijcere, ad Episcoporum iudicium prouocandi; atque eorum sententiam ratam esse, & aliorum iudicum sententijs plus habere authoritatis, tanquã ab ipso Imperatore prolatam, statuit; quin etiam iussit, vt magistratus res iudicatas re ipsa exequerentur, militesq; eorum voluntati inseruirent: præterea, vt Conciliorum decisiones firmę, & immutabiles existerent.*

Ruffinus lib. 1. cap. 2. & D. Gregorius lib. 4. epist.

 75. &

75. & Nicolaus Romanus Pontifex ad Michaelem Augustum egregia verba Constantini de Clericis, & Sacerdotibus dicta sic narrant; *Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoq; iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari; propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia, quacunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos autem nobis à Deo dati estis dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* Hęc Ruffinus.

Sozomenus iterum lib.1.cap.16.de immunitate sacerdotum à iudicio sęculari, dùm Donatistę libellos de criminibus aduersus eos obiectis Constātino obtulerunt, sic scribit: *Multi autem ex sacerdotum numero, qui (vti euenire solet) tanquam ad causas suas, ac priuatas disceptandas in vnum conuenerant, tempus opportunum sibi iàm oblatum putarunt ad res eas corrigendas, quæ ipsorū animos offendissent. Itaque singuli libellum de criminibus, quæ alijs obijcerent, Imperatori offerre, vt peccata in se admissa iàm ante, exponere cęperunt. Cum autem illud in dies ferè singulos accideret, dat mandatum Imperator, vt singuli crimina, quæ alijs obijcere constituerant, ad certum diē proponerent. Vbi dictus dies venit, Imperator oblatis sibi libellis acceptis: Istæ, inquit, criminationes tempus quidem sibi præstitutum habent, dum videlicet magni iudicij. Iudicem autem, qui sit tùm de omnibus sententiam pronunciaturus*

turus; Mihi verò non est fas, cum homo sim, cuius iudici causarum cognitionem arrogare, praesertim cum & qui accusant, et qui accusantur, sacerdotes sint. Nam non deberent se tales prebere, ut ab altero iudicentur. Age igitur deletis criminibus exemplum diuinae clementiae in danda mutuo venia imitati, iungamus amicitiae foedera, & fidei negotia, quae vos in hunc locum conuenire compulerunt, serio pertractemus. Hac habita oratione Imperator iubet tùm criminationes illatas nullius momenti esse, tùm libellos comburi, diemque praestituit, ad quem de rebus fidei vocatis in controuersiam decideretur.

Idem cognoscitur ex epistola Constantini ad Episcopos Catholicos, quae extat in appendice ad Optatum Parisijs nouissimè editum ex Bibliotheca Petri Pithei in illis verbis: *Duo enim (ut se veritas habet) sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud iudicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti.* Idem sanciuit Constantius ad instantiam Hilarij, ut legitur in Codice Theodosiano l. 12. de Episc. & Cleric.

Haec omnia, & multa alia similia, non tantùm per excessum pietatis, & benignitatis erga Ecclesiã protulit Constantinus, sed secundùm veritatem, & quia ita verè, & ex corde sentiret, sicut etiam verba illa, quae referuntur in can. Futuram. 12. q. 1. ut ibidem etiam Turrecremata exponit. Hanc autem Constantini sententiam omninò veram esse, quam nemini co-

gniti

gniti Theologi spernunt ex his, quæ subijcimus, ab alijs Imperatoribus in eadem, vel simili causa prolatis, penitus conuincitur.

Valentinianus Imperator ad Theodosium patrem scribens in epistola, quæ habetur tom. 1. Conc. ante Chalc. Concilium, apertè affirmat, ad Romanum Pōtificem spectare de fide, & sacerdotibus iudicare; quā epistolam inseruit etiam Card. Baronius tom. 6. Annalium.

Marcianus Imperator multas leges latas contra libertatem Ecclesiasticam ab alijs Imperatoribus antea promulgatas abrogauit, Clericos pristinę restituens libertati, vt habetur in l. Priuilegio. C. de sacrosanct. Eccles. & in l. Generali. C. eod. quod etiam refert idem Baronius in eod. tom. id autem fecisse Imperatorem, testatur ob ingentem cladem occidentali imperio à Deo illatam propter lęsam religionem, & clericorum immunitatem.

Basilius Imperator in 8. Synod. aurea hęc verba in honorem Clericorum protulit: *De vobis autem laicis, tàm qui in dignitatibus, quàm qui absolutè versamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere: neq; penitus resistere integritati Ecclesiæ, & uniuersali Synodo aduersari. Hęc enim inuestigare, & quærere, Patriarcharũ, Pontificum, & sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi, & ligandi potestatem habent,*

bent,

bent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claues, non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento sol uiegemus.

Quid ad hęc testimonia noui Theologi anonymi respondere tentabunt? Nunquid semper fictè, & non veraciter religiosissimus Imperator locutus est? adulatoriè ne egit Constantinus cum Clericis, & Summis Pontificibus, quibus quamplurima donauerat, & nihil ab eis expectabat recipere? Id verò, quod in eo canone Constantinus dixit: *Vos à nemine iudicari potestis, quia solius Dei iudicio reseruamini*, non excludit, nisi laicos, vel seculares. Ita Turrecremata exponit, *à nemine*, scilicet, laico, vel seculari; & illud, *solius Dei*, hoc est, Ecclesiæ, vt idem exponit, *iudicio*, reseruandum: iudicium enim Ecclesiæ est Dei iudicium; & contra, iuxta illud: *Qui vos audit, me audit*. Iudicium autem Ecclesiæ est iudicium Præsulis, ac Prælatorum, vt Chrysostomus notat super illa verba Matthæi, *Dic Ecclesiæ*, idest, Præsuli eius. Hùc spectat, quod habetur. 2. q. 7. can. Accusatio, & 3. q. 5. can. Quod suspecti. Quæ omnia ex similibus sententijs Constantini à multis Authoribus relatis, quis nisi insipiens verissima esse negabit?

At scribentibus mendacia, & falsitates quidnam Isaias minatur? *Vę*, inquit, *scribentibus iniquitatem: scribentes enim, iniquitatem scribunt*. Sic legit Basilius in enarrat. cap. 10. Isa. Et subdit: *Sunt nonnulli, qui indignũ*

censent

tenſent ſuorum maiorum inſiſtere veſtigijs, & quæ ab ijſdē tradita ſunt, dogmata conſectari turpe eſſe ducunt. Iſti ſunt qui maximoperè affectant videri auctores excitandarum hæreſeon, quare nouas quaſdam doctrinę molitiones comminiſcuntur præter rectam ſcripturæ intelligentiam, ſuam ipſorum malitiam, & impietatem prodentes ſcriptis. Aduerſus hos detorquetur, ac peruenit hoc, vę, in hos inquam, qui patres ſunt falſi nominis ſcientię, ac ſcribę impiorum dogmatū. Tales enim tranſuerſos agunt, & ad ſe eos abripiunt, qui laborant inopia fidei, animaſq; viduatas veraci ſponſo, ac planè theologo peruertunt.

Sed vt tandem rem hanc concludamus, illud poſtremò loco eſt commemorandum, Principatus, Regna, atq; Reſpublicas eatenus in temporali fœlicitate durare, quatenus, & quouſque Eccleſiam Catholicam, & Romanam defendunt, eique obediunt, & cōiuncti ſunt: Reges enim, Duces, ac Principes, qui Eccleſiæ Romanę, ac Summo Pontifici, eiuſque legibus reluctantur, ſacrorumque Canonum contemptores ſunt, citò deficiunt, & ad nihilum reducuntur. Apprehendant igitur Reges diſciplinam, ac timorem Domini, nequando ille iraſcatur, & à ſedibus deponātur ab eo, qui deponit potentes de ſede, & exaltat humiles. Egregiē D. Auguſtinus in expoſit. pſal. 149. exponens illa verba, *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in vinculis ferreis*, ait: Reges Chriſtianos ideò eſſe ligatos compedibus, & nobiles vinculis,

lis, ne ad illicita, & errores, qui contra verbum Dei feminātur, profluant, prosiliāt: alligati enim sunt Christi, & Ecclesiæ legibus, vt intra, non extra Ecclesiam illis progredi liceat: *Multi autem*, inquit, *tenent ipsam nobilitatem in Christo, tenent regias potestates, & sic sunt Christiani. Ipsi sunt tanquam in compedibus, & tanquam in vinculis ferreis. Undè hoc? Ne progrederentur ad illicita, compedes acceperunt, compedes sapientię, compedes verbi Dei. Ex quo enim Christianæ militiæ se ascripserunt, Christi, & Ecclesię legibus se subdiderunt.* Hæc autem vincula ferrea, & aspera sunt repugnantibus; aurea verò, & dulcia spontè subeuntibus. Debent omnes Reges terræ Domino cōfiteri, & audire omnia verba oris eius, hoc est, Christi, qui etiam per Ecclesiam loquitur, psal. 137. Et quantò sunt in maiori fęlicitate terrena, tantò magis Deo humiliari debent; vt in eundem psalmum notat Augustinus. Vide quæ de hac re scripsimus in cap. 27. dub. 9. lib. 3. Cōment. in Magnificat.

Præterea ex græcorum historijs constat, Imperatores Orientis, ex quo ab Ecclesia Romana se ob imaginum dissidium separarunt, semper in dies infęlicius se habuisse, donec tandem imperium omninò amiserint. Ex Latinorum verò historijs manifestè deprehēditur, eò magis, minusuè Imperatores floruisse, quò magis, vel minus Romanæ Ecclesię addicti fuere. Ex Euagrio lib. 4. hist. cap. 16. & seq. cognoscitur, Iustinianum seniorem, dùm Catholicus perseuerauit, fę-

licissimè imperasse, adeò vt Italiam, Aphricam, mul tasq; alias Prouincias Romano Imperio restituerit.

B. August. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 23 refert, Deú pro Honorio, eò quod Catholicus, & Romano Pontifici addictissimus esset, ita pugnasse, vt vno prælio multò amplius, quàm centum millia Gothorum ab illius copijs occiderentur, & Radagaisus Rex cum filijs caperetur, & interficeretur, ex Romanis ne vno quidem vulnerato, ne dùm extincto.

Idem August. eod. lib. cap. 27. de Theodosio seniore scribit, quòd cum verè pius, & catholicus esset, omnia ei prosperè successerint; adeò vt in prælijs hostium tela in authores (Deo mouente) retorquerentur; immò vt Theodoretus lib. 5. histor. refert, Apostoli, Ioannes, & Philippus in equis albis eodem in prælio pro Theodosio pugnantes apparuerunt.

De Constantino Imperatore præter ea, quę habentur apud Eusebium lib. 9. histor. cap. 9. hęc scribit D. Augustinus lib. 5. de Ciuit. Dei. cap. 25. *Constantinum Imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verũ Deum colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere ciuitatem Romano imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo, simulacroq; concessit. Diu imperauit, vniuersum Orbem Romanum vnus Augustus tenuit, & defendit: in administrandis, & gerendis bellis victoriosissimus fuit: in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: Gran-*

dęuus

dque ægritudine, & senectute defunctus est, filios imperan tes reliquit.

Genebrardus in psal.106.explicãs illa verba, *Effusa est contemptio*, hoc est, ignominia, & irrisio, *in Principes*, sapienter notat, quòd contemptus Principum præsagit Regni desolationem; Vbi enim Deus Imperia, & Principatus, ac Respublicas vult deijcere, effundit contemptum super Principes, iuxta illud Iob. 12. *Effundit contemptum*, tollitq; authoritatẽ, & reuerentiam, & tradit eos in concupiscentias cordis corũ. Sicq; errare facit eos in inuio, hoc est, eos Regno pellit, & in solitudines, exilium, captiuitates, carceres infęliciter redigit. Sic etiam contemptus Principis spiritualis, & præsertim Summi Pontificis, est initiũ dolorum cuiuscũq; Regni, vel Reipublicę, tàm quoad spiritualia, quàm quoad temporalia. Faxit Deus, ne fiant, tanquã oues errantes, diuulsæ ab Episcopo, & Pastore animarum suarum. Caueant ne de illa Ciuitate, & Republica, quæ per mille, & ducẽtos annos florentissime regnauit; hodiè dicatur, *Princeps Prouinciarum facta est sub* alienigenarum *tributo*. Meminerint, se singularem quandam cohærentiam ad Sanctã Romanam, & Apostolicã Ecclesiam habuisse, vt scribit Greg. VII. lib. 4. registri epist. 20. Videant, ne ab ea libertate, quam ab antiqua stirpe Romanæ nobilitatis acceperunt, & diù conseruarunt, teste eodem Gregorio eiusdem lib. epist. 27. nunc turpiter degenerent.

nerent. *Formident filij maris*, Osee 11. & caueant, ne id illis infelicissimè contingat, quod comminatur Isaias c. 18. celeberrimæ illi vrbi Alexandriæ. *Va terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Aethiopiæ: qui mittit in mari legatos, & in vasis papyri super aquas.* At vos tandē *Angeli veloces ite ad gentem* contumacia *conuulsam*, & inobedientia *dilaceratam*; *ad populum* pertinacia *terribilem, post quem non est alius*; *ad gentem* vana *expectantem*, & prauis erroribus *conculcatam*: Vaticinamini resipiscenti pacem, non resipiscenti celerem perditionem, & interitum. Sed nunquid semper in mari indignatio Domini? Nos interim ad montes sanctos Dei colendos Ecclesiasticę iurisdictionis, in quibus Dei Ecclesia fundata est, confugiamus, dicentes: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Qui enim confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebuntur in æternum.

LAVS DEO.

RVTILII BENZONII
ROMANI
EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS.

De iustitia Pontificij interdicti
Contra Reipublicæ Venetæ Pseudotheologos

DISPVTATIO.



RECANETI,

Apud Antonium Braidam. MDCVII.

Superiorum Permissu.

ERRATA

Ex I. Disputatione

Pag.6.lin.7.hæc alia quędam eius.pag.16.lin.2.dependet dependeat pag.21. lin.3.censet censent pag.21.lin.22.Ecclesias Ecclesię pag.30.lin.2.contineat contineant pag.32.lin.vlt.tios ptios pag.60.15. ex debito, ex debito humilitatis pag.62.lin.5.vt fecerint fecisse pag.77.lin. 4. custodeenti1 custodiētiū.

Ex II. Disputatione


Pag.3.lin.11.& hunc, & illos, & hunc obiurgatione, & illos gladio, & occisione pag.8.lin.6.nigra nigro pag.10.lin.22.erunt ferunt pag.12.lin.10.scribens scribit pag.24.lin.20.preditum prędltus pag.59. lin. 16.laicos seculari pag.63.li.11.5.1.pag.72.li.23.super quos super quo pag.76.li.14.cęteri pos sūt cęteris licet. pag.84.li.17.cōcionare cōcionari pag.87.li.8.exumāda exhumanda pag.88.lin.27.existens existenti pag.92.lin.15.personaliter, personaliter interdicti pag.105.lin.10.quodcumq; quęcumq; pag.107.lin.23.essequu execu pag.109.lin.4.Federicum Fridericbum pag.110.lin.8.Yuo Yuonem pag.113.lin.2.D. Thom.D.Thom.1.2.pag.118.lin.11.intereat intereāt pag.127.lin.22.decimononum decimumnonum pag.135.lin.13.enim, enim non pag.136.lin.24.u vt pag.137.lin.19.dist.disp.pag.143.lin.5.ingrauior ignauior pag.147.lin.20. offenderetur effunderetur pag.147. lin.26. buam quam.pag.163.lin.17.offerreretur offerretur pag.163.lin.18.charitati charitatis pag.165.lin.15.esse sunt pag.168.lin.8.Cattbolici Catbolici pag.175. lin.16.Judei Iudęi pag.179.lin.26.succipiendum suscipiendum pag.180.lin. 14.vei vel pag.181.lin.6.quod sicut sicut pag.184.lin.1. pertetigit pertigit pag.186.lin.7.autorite auctoritate pag.191.lin.7.Victor Victore pag. 192. lin.15.santificat sanctificat pag.200. lin.3.sui summi pag. 200. lin.19.authoritate auctoritate.

RVTILII BENZONII ROMANI EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS

DISPVTATIO

De Iustitia Pontificij Interdicti Contra Venetæ Republicæ Pseudotheologos.

PRÆFATIO.



T DE ORE EIVS GLADIVS VTRAQVE PARTE ACVTVS EXIBAT, Apocal. 1. Christus triplici modo gladium gestare in sacris scripturis dicitur. Primo in femore accinctum, psal. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*. Secundo in ore, Apocal. loc. cit. & cap. 19. *Et de ore ipsius procedit gladius acutus, vt in ipso percutiat gentes*. Deniq; in manu, psal. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum*. Ex quibus Dei in puniendo progressus significatur. Dùm enim gladium femore accinctum habet; suam ostendit mulctandi potentiam, vt vel sic mortalibus, qui ad delinquendum procliues sunt, non minimum ter-

rorem incutiat. Deindè dùm in ore positum habet; iustissimæ suæ iræ minas significat, vt vehementius deterreat. Postremò dùm gladium vagina exuit, ac vibrat; quę comminatus erat, perficit, & re ipsa incutit pœnam, atq; supplicium, iuxta illud Exod. 15. *Euaginabo gladium meum; interficiet eos manus mea.* Et Ezech. 5. *Gladium euaginabo post eos.* Diuinum hunc in puniendo progressum optimè indicat græca lectio; quod enim nos habemus, *exibat*, græcè est, *ècporeuomèni*, hoc est, procedēs, nempè ab ore ad manum. Sic Summus Pontifex Christi in terris Vicarius gladium punitionis, ac censurarum triplici modo gestare cognoscitur. In femore, in ore, ac in manu. In femore quidem, dùm potentiam, & auctoritatem in censuris ferēdis à Christo acceptam retinet, vt oues sibi commissas, ne grauius peccent, terreat. In ore verò, dùm huiusmodi censuras comminatur, easuè per præuias monitiones intimat, proponit, atq; significat, vt sic inobedientes etiam, atque etiam deterreat. Demum, dùm contumaces, impęnitentes, duriores uè eos esse cognoscit, gladium ex femore, atque ore, in manu tandem accipiens, & per lationem censurarum, quasi è vagina eductum vibrans, eosdem ferit, pungit, ac vulnerat. Quemadmodùm verò gladius ex ore filij hominis progrediens anceps, seu vtraque parte acutus erat, ac duo ora habens; ita aúctoritas Summi Pontificis, præcipuè in ferendis cen-

censuris, non vna, sed multiplex est; aliquando enim excommunicatione tantùm percutit; nonnunquam verò etiam interdicto (sunt enim hæ duę dumtaxat vniuersales censuræ laicos, & clericos comprehendentes) vt non solùm populi, sed ipsi etiam Principes, Reges, & optimates sęculi terreantur, & contremiscant; vt sic vtroque gladij ore percussi delinquentes citiùs ad cor redeant, & resipiscant. Sic Moyses zelo diuini cultus incensus, proiectis de manu ambabus tabulis, ad vindicanda populorum, & Aaronis immania scelera & hunc, & illos puniuit, Exod. 32.

Diximus in priori disputatione de censura excom municationis Sanctissimi Domini Nostri Pauli V. in Venetos &c. eamque iustissimã, validissimam, & ab omnibus, in quos lata est, pertimescendam esse, demonstrauimus. Nunc de interdicto contra illos declarato ab eodem Summo Pontifice nonnulla proferenda sunt, vt summa iustitia, & ęquitate gladius Pontificius, tanquam vtraque parte acutissimus, lethaliter vulnerare cognoscatur.

Quæ autem de huiusmodi Pontificio interdicto in hac secunda disputatione à nobis pertractanda sunt, ad decem capita reuocanda esse, duximus.

In quorum primo agitur de antiquitate, nomine, ac ratione interdicti.

In ſecundo exponuntur quatuor cauſæ Veneti interdicti.

In tertio agitur de iuſtitia, & neceſſaria obſeruatione Pontificij interdicti.

In quarto tractatur quæſtio, An metus mortis, vel periculum vitæ excuſet ab inobſeruatione Pontificij interdicti.

In quinto proponũtur pœnę, quas Clerici, vel laici interdicto non obtemperantes incurrunt.

In ſexto explicatur, quid liceat, vel nõ liceat Epiſcopis, Clericis, Religioſis, Laicis, atque etiam Monialibus agere tempore interdicti.

In ſeptimo agitur de pœnis, quas interdictum impedientes incurrunt.

In octauo explicatur, quænàm commoda, vel incommoda oriantur in Eccleſia ex interdicti obſeruatione.

In nono reſpondetur nonnullis Pſeudotheologorum falſis argumentis contra interdictum Pontificiũ confictis.

In decimo agitur de falſis benedictionibus, quas Pſeudotheologi excommunicatis, & interdictis promittunt.

CAPVT PRIMVM.

De antiquitate, nomine, ac ratione interdicti.



NON est nouum in Ecclesia Christi (vt Pseudotheologi affirmant) contra inobedientes, & cõtumaces interdicti censuram proferre; sicut etiam falsum est, interdictũ esse nouam censuram, & recenter repertam, & institutam in Ecclesia, nec etiam quantùm ad vocem apud antiquos Canones, vel Patres reperiri. Si enim de ipsius vocabuli, vel vocis ratione agatur, certum est, hoc verbum interdicere, seu, interdictum, quatenus prohibere, vel prohibitionem significat, multa antiquissima sacra Concilia vsurpasse. Verbo interdicendi vtitur Concilium Aurelianense tertium, tempore Childeberti Regis habitum can. 7. 10. & 21. Elibertinum verò circa Syluestri I. & Nicæni Concilij tempora in Hispania celebratum sæpè voce, interdictum, vtitur, nimirum in can. 16. 40. 49. & 62. & inter scriptores Tertullianus antiquissimus latinus author lib. 4. aduersus Marcion. cap. 24. excommunicationem appellat communicationis interdictum. Et quàmuis interdicere, & prohibere idem sint, & ipsa prohibitio vsus talis rei sacræ pro censura interdicti,

prout

prout ab alijs censuris distinguitur, accipiatur, vt videre est in Concilio Basilæensi sess. 22. in cap. de excommunicatis non vitandis, nisi certo modo vocatis. Et in cap. Non est vobis. de sponsalib. Vbi mandatū Papę, ne diuina officia celebrērur, nec celebrari permittantur, interdictum vocatur; tamen nomen interdicti, prout propriè, ac speciatim sumitur pro certa quadam specie censuræ Ecclesiasticę, prout ea hodiè vtitur Ecclesia, vsurpauit D. Augustinus in epist. 185. ad Bonifacium, & habetur in can. Miror. 17. q. 4. In qua epistola bis Augustinus vtitur verbo interdicendi; ait enim primùm, *Oblatio verò domus tuæ, à Clericis ne suscipiatur*, *interdixi*; vel, vt alia lectio habet, *indixi*, quod tamen idem est. Prohibet enim D. Augustinus hoc in loco, ne etiam occasione munerum, donariorum, & oblationum, quæ ad altare offerebantur, & in sacrario, seu gazophylacio Ecclesiæ poni debebànt, iuxta decretum Concilij Carthaginensis 4. cap. 59. cui ipsemet Augustinus interfuit, & subscripsit, & habetur in can. Oblationes. dist. 90. Bonifacius Comes ipsam Ecclesiam ingredi posset, inhibens ipsis Clericis, ne huiusmodi oblationes susciperent, quousque Ecclesiæ à Bonifacio satisfactum fuisset: Erant enim oblationes familiæ hominis ab ingressu Ecclesiæ, & à sacris interdicti, ob cuius culpam etiam domus eius, seu familia interdicta erat ab oblationibus, & ab Ecclesiæ ingressu.

Fit

Fit autem ibi ſermo, vt Turrecremata ibidem exponit, de oblationibus voluntarijs, non autem de debitis, & neceſſarijs, vt de decimis, & ſimilibus, quæ etiam ab inuitis extorquenda ſunt; vt 17. quęſt. 1. can. 10. & gloſſa in dicto canon. Oblationes.

Et iterum dicit Auguſtinus, *Communionem tibi interdico, donec peracta pro auſibus, vel errore à me definita tibimet pœnitentia, & tempore ordinato pro hoc facto corde contrito, & humiliato dignum offeras ſacrificium Deo.* Quæ verba nullam interpretationem, vel gloſſam recipiunt, quin de proprio interdicto, quod prohibet ſacramenta, accipienda ſint; Et hoc ſufficit ad antiquitatem interdicti oſtendendam; floruit enim D. Auguſtinus ante mille, & ducentos annos.

Sed de interdicto perſonali, ſeu de perſonæ cenſura, quæ etiam ipſa loca ſacra, ſeu Eccleſias reſpectu alicuius certę perſonæ reſpicit, omninò loqui Auguſtinum ex reſponſione eiuſdem Bonifacij Comitis huiuſmodi cenſura Eccleſiaſtica ab Auguſtino verberati, omninò cognoſcitur, quæ ſic habet: *Humilis ſaluto, quod primum eſt: Suſcepi autem tremens ſanctitatis tuæ verba verberibus plena. Scio, quod veniæ præparatur, qui ab Auguſtino perfectiſsimo Sacerdote corripitur; nec debet Epiſcopo denegari, quod voluntas facit, aut caſus. Ipſe enim ſibi denegat curam, qui ſuam medico non publicat cauſam. Hominem ergo piiſsime Pater è liminibus Eccleſiæ raptum tuis ſanctis aſpectibus*

iuſsio

iussio mea, furorque subduxit. Alieno non sunt facta ista consilio; Dei, & sanctorum eius regimine viuo. Illum itaque virum morte dignissimum, quem (vt dixi) meus de Ecclesiæ foribus furor abstraxit, vita tuis iussionibus donamus illæsum. Agnosco culpas. Indignæ meæ lachrymæ iungantur tuis fletibus iustis, quo possit hæc nota nigra scriptatitione deleri. Ecclesiæ mihi introitus non negetur: illic spero veniam, vbi admisi culpam; oblatio verò domus meæ, vt tua sanctitas iussit, ad cœlestis regis mensam eius manibus offeretur. Hactenùs Bonifacius Comes. Ex cuius verbis clarissimè cognoscitur, se interdicto personali ab ingressu Ecclesiæ affectum fuisse. Fatetur enim, se à liminibus Ecclesiæ eiectum fuisse; petit instanter, vt introitus Ecclesię ei restituatur, atq; etiam vt oblationes domus suæ per manus Clericorũ receptæ Deo ibidem offerantur; prohibetur igitur, tales oblationes fieri in Ecclesia, quod sapit naturam interdicti localis, partialis, vel specialis, saltem respectu talis personæ; licèt simpliciter sit dicenda hæc censura, personalis.

Præterea ad antiquissima, ac prima Christianorũ sæcula recurrentes ex Canonibus Apostolorum idem cognoscimus. Etenim in can. 6. 7. 8. 50. & 61. eiectio quorundam delinquẽtium ab Ecclesia fieri iubetur; Eiectio autem à loco, vel à re sacra specimen quoddã interdicti præsefert. Et licèt Christus eiecerit è templo ex funiculis facto flagello ementes, & vendentes;

non

non tamen illis tunc templum interdixit, sed corporali pęna eos propria manu puniuit, vt Anacletus epist. 2. & Pius I. epist. 1. & Iulius I. epist. contra orientales Episcopos affirmant, necnō Cyrillus lib. 2. cap. 28. & Chrysost. homil. 22. interdicti censuram, quæ spiritualis est, Apostolis, cæterisque Ecclesiæ Præsulibus exequendam, & exercendam relinquens. Cępit namque hæc censura exerceri etiam tempore Apostolorum, à quibus instituta fuit, vt clarius ex alijs eorū canonibus mox citandis constabit. In canone enim 13. 45. 58. & 66. illi, qui in eos commiserint, suspēduntur à cōmunione, nempè, Eucharistiæ. Quod reipsa idē est, ac à sacra cōmunione interdici, & excludi; & id imponitur, vt pęna specialis ab excommunicatione distincta, cum hæc plures, & ampliores effectus habeat; necnon vt distincta à suspensione propriè dicta, cum pœna illa priuationis, vel suspensionis à communione, etiam laicis imponeretur, vt in can. Apost. 52. 65. & 66. vndè in illis, formaliter loquendo, suspendi accipitur, pro prohiberi, & interdici. Sic etiā in can. 37. dicitur, Clerici verò Ciuitatis communione priuentur. Et in can. 16. priuatur communione Episcopus, apud quē morati fuerint Clerici, qui absq; licentia proprij Episcopi ad alienam parochiam, seu Diœcesim migrauerint. Idem est autem priuari communione, ac ea interdici, vt inferiùs demōstrabimus; Omnis enim interdictus est quidē materialiter suspē-

nerent. *Formident filij maris*, Osee 11. & caueant, ne id illis infelicissimè contingat, quod comminatur Isaias c. 18. celeberrimæ illi vrbi Alexandriæ. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Aethiopiæ: qui mittit in mari legatos, & in vasis papyri super aquas.* At vos tandē *Angeli veloces ite ad gentem* contumacia *conuulsam*, & inobedientia *dilaceratam*; *ad populum* pertinacia *terribilem*, *post quem non est alius*; *ad gentem* vana *expectantem*, & prauis erroribus *conculcatam*: Vaticinamini resipiscenti pacem, non resipiscenti celerem perditionem, & interitum. Sed nunquid semper in mari indignatio Domini? Nos interim ad montes sanctos Dei colendos Ecclesiasticę iurisdictionis, in quibus Dei Ecclesia fundata est, confugiamus, dicentes: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Qui enim confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebuntur in æternum.

LAVS DEO.

109

RVTILII BENZONII
ROMANI
EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS.

De iustitia Pontificij interdicti
Contra Republicæ Venetæ Pseudotheologos

DISPVTATIO.



RECANETI,

Apud Antonium Braidam. MDCVII.
Superiorum Permissu.

E R R A T A

Ex I. Disputatione

Pag.6.lin.7.hac alia quędam eius.pag.16.lin.2.dependet dependeat pag.21. lin.3.censet censent pag.21.lin.22.Ecclesias Ecclesię pag.30.lin.2.contineat contineant pag.32.lin.vlt.tios ptios pag.60.15.ex debito, ex debito humilitatis pag.62.lin.5.vt fecerint fecisse pag.77.lin. 4. custodeentis custodientiū.

Ex II. Disputatione


Pag.3.lin.11.& hunc,& illos, & hunc obiurgatione,& illos gladio,& occisione pag.8.lin.6.nigra nigro pag.10.lin.22.erunt ferunt pag.12.lin.10.scribens scribit pag.24.lin.20.preditum preditus pag.59.lin. 16.laicos seculari pag.63.li.11.5.1.pag.72.li.23.super quos super quo pag.76.li.14.cęteri possūt cęteris licet. pag.84.li.17.cōcionare cōcionari pag.87.li.8.exumāda exhumanda pag.88.lin.27.existens existenti pag.92.lin.15.personaliter,personaliter interdicti pag.105.lin.10.quodcumq; quęcumq; pag.107.lin.23.essequu execu pag.109.lin.4.Federicum Fridericum pag.110.lin.8.Yuo Yuonem pag.113.lin.2.D.Thom.D.Thom.1.2.pag.118.lin.11.intereat intereāt pag.127.lin.22.decimonqnum decimumnonum pag.135.lin.13.enim, enim non pag.136.lin.24.u vt pag.137.lin.19.dist.disp.pag.143.lin.5.ingrauior ignauior pag.147.lin.20.offenderetur offunderetur pag.147.lin.26.huam quam.pag.163.lin.17.offerreretur offerretur pag.163.lin.18.charitati charitatis pag.165.lin.15.esse sunt pag.168.lin.8.Cattholici Catholici pag.175. lin.16.Judei Iudęi pag.179.lin.26.succipiendum suscipiendum pag.180.lin. 14.vei vel pag.181.lin.6.quod sicut sicut pag.184.lin.1. pertetigit pertigit pag.186.lin.7.autorite auctoritate pag.191.lin.7.Victor Victore pag. 192. lin.15.santificat sanctificat pag.200. lin.3.sui summi pag. 200. lin.19.authoritate auctoritate.

RVTILII BENZONII ROMANI EPISCOPI LAVRETANI, ET RECANATENSIS

DISPVTATIO

De Iustitia Pontificij Interdicti
Contra Venetæ Reipublicæ Pseudotheologos.

PRÆFATIO.



T DE ORE EIVS GLADIVS VTRAQVE PARTE ACVTVS EXIBAT, Apocal. 1. Christus triplici modo gladium gestare in sacris scripturis dicitur. Primo in femore accinctum, psal. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Secundo in ore, Apocal. loc. cit. & cap. 19. *Et de ore ipsius procedit gladius acutus, vt in ipso percutiat gentes.* Deniq; in manu, psal. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum.* Ex quibus Dei in puniendo progressus significatur. Dùm enim gladium femore accinctum habet; suam ostendit mulctandi potentiam, vt vel sic mortalibus, qui ad delinquendum procliues sunt, non minimum ter-

rorem incutiat. Deindè dùm in ore positum habet; iustissimæ suæ iræ minas significat, vt vehementius deterreat. Postremò dùm gladium vagina exuit, ac vibrat; quę comminatus erat, perficit, & re ipsa incutit pœnam, atq; supplicium, iuxta illud Exod. 15. *Euaginabo gladium meum; interficiet eos manus mea*. Et Ezech. 5. *Gladium euaginabo post eos*. Diuinum hunc in puniendo progressum optimè indicat græca lectio; quod enim nos habemus, *exibat*, græcè est, *ècporeuomèni*, hoc est, procedēs, nempè ab ore ad manum. Sic Summus Pontifex Christi in terris Vicarius gladium punitionis, ac censurarum triplici modo gestare cognoscitur. In femore, in ore, ac in manu. In femore quidem, dùm potentiam, & auctoritatem in censuris ferēdis à Christo acceptam retinet, vt oues sibi commissas, ne grauius peccent, terreat. In ore verò, dùm huiusmodi censuras comminatur, easuè per præuias monitiones intimat, proponit, atq; significat, vt sic inobedientes etiam, atque etiam deterreat. Demum, dùm contumaces, impęnitentes, durioresuè eos esse cognoscit, gladium ex femore, atque ore, in manu tandem accipiens, & per lationem censurarum, quasi è vagina eductum vibrans, eosdem ferit, pungit, ac vulnerat. Quemadmodùm verò gladius ex ore filij hominis progrediens anceps, seu vtraque parte acutus erat, ac duo ora habens; ita auctoritas Summi Pontificis, præcipuè in ferendis

cen-

cenſuris, non vna, ſed multiplex eſt; aliquando enim excommunicatione tantùm percutit; nonnunquam verò etiam interdicto (ſunt enim hæ duę dumtaxat vniuerſales cenſuræ laicos, & clericos comprehendentes) vt non ſolùm populi, ſed ipſi etiam Principes, Reges, & optimates ſęculi terreantur, & contremiſcant; vt ſic vtroque gladij ore percuſſi delinquentes citiùs ad cor redeant, & reſipiſcant. Sic Moyſes zelo diuini cultus incenſus, proiectis de manu ambabus tabulis, ad vindicanda populorum, & Aaronis immania ſcelera & hunc, & illos puniuit, Exod. 32.

Diximus in priori diſputatione de cenſura excommunicationis Sanctiſſimi Domini Noſtri Pauli V. in Venetos &c. eamque iuſtiſſimã, validiſſimam, & ab omnibus, in quos lata eſt, pertimeſcendam eſſe, demonſtrauimus. Nunc de interdicto contra illos declarato ab eodem Summo Pontifice nonnulla proferenda ſunt, vt ſumma iuſtitia, & ęquitate gladius Pontificius, tanquam vtraque parte acutiſſimus, lethaliter vulnerare cognoſcatur.

Quæ autem de huiuſmodi Pontificio interdicto in hac ſecunda diſputatione à nobis pertractanda ſunt, ad decem capita reuocanda eſſe, duximus.

In quorum primo agitur de antiquitate, nomine, ac ratione interdicti.

In ſecundo exponuntur quatuor cauſæ Veneti interdicti.

In tertio agitur de iuſtitia, & neceſſaria obſeruatione Pontificij interdicti.

In quarto tractatur quæſtio, An metus mortis, vel periculum vitæ excuſet ab inobſeruatione Pontificij interdicti.

In quinto proponũtur pœnę, quas Clerici, vel laici interdicto non obtemperantes incurrunt.

In ſexto explicatur, quid liceat, vel nõ liceat Epiſcopis, Clericis, Religioſis, Laicis, atque etiam Monialibus agere tempore interdicti.

In ſeptimo agitur de pœnis, quas interdictum impedientes incurrunt.

In octauo explicatur, quænam commoda, vel incommoda oriantur in Eccleſia ex interdicti obſeruatione.

In nono reſpondetur nonnullis Pſeudotheologorum falſis argumentis contra interdictum Pontificiũ confictis.

In decimo agitur de falſis benedictionibus, quas Pſeudotheologi excommunicatis, & interdictis promittunt.

CAPVT PRIMVM.

De antiquitate, nomine, ac ratione interdicti.



ON est nouum in Ecclesia Christi (vt Pseudotheologi affirmant) contra inobedientes, & cõtumaces interdicti censuram proferre; sicut etiam falsum est, interdictũ esse nouam censuram, & recenter repertam, & institutam in Ecclesia, nec etiam quantùm ad vocem apud antiquos Canones, vel Patres reperiri. Si enim de ipsius vocabuli, vel vocis ratione agatur, certum est, hoc verbum interdicere, seu, interdictum, quatenus prohibere, vel prohibitionem significat, multa antiquissima sacra Concilia vsurpasse. Verbo interdicendi vtitur Concilium Aurelianense tertium, tempore Childeberti Regis habitum can. 7. 10. & 21. Elibertinum verò circa Syluestri I. & Nicæni Concilij tempora in Hispania celebratum sæpè voce, interdictum, vtitur, nimirum in can. 16. 40. 49. & 62. & inter scriptores Tertullianus antiquissimus latinus author lib. 4. aduersus Marcion. cap. 24. excommunicationem appellat communicationis interdictum. Et quàmuis interdicere, & prohibere idem sint, & ipsa prohibitio vsus talis rei sacræ pro censura interdicti,

prout

prout ab alijs censuris distinguitur, accipiatur, vt videre est in Concilio Basilæensi sess. 22: in cap. de excommunicatis non vitandis, nisi certo modo vocatis. Et in cap. Non est vobis. de sponsalib. Vbi mandatū Papę, ne diuina officia celebrētur, nec celebrari permittantur, interdictum vocatur; tamen nomen interdicti, prout propriè, ac speciatim sumitur pro certa quadam specie censuræ Ecclesiasticę, prout ea hodiè vtitur Ecclesia, vsurpauit D. Augustinus in epist. 185. ad Bonifacium, & habetur in can. Miror. 17. q. 4. In qua epistola bis Augustinus vtitur verbo interdicendi; ait enim primùm, *Oblatio verò domus tuæ, à Clericis ne suscipiatur, interdixi*; vel, vt alia lectio habet, *indixi*, quod tamen idem est. Prohibet enim D. Augustinus hoc in loco, ne etiam occasione munerum, donariorum, & oblationum, quæ ad altare offerebantur, & in sacrario, seu gazophylacio Ecclesiæ poni debebant, iuxta decretum Concilij Carthaginensis 4. cap. 59. cui ipsemet Augustinus interfuit, & subscripsit, & habetur in can. Oblationes. dist. 90. Bonifacius Comes ipsam Ecclesiam ingredi posset, inhibens ipsis Clericis, ne huiusmodi oblationes susciperent, quousque Ecclesiæ à Bonifacio satisfactum fuisset: Erant enim oblationes familiæ hominis ab ingressu Ecclesiæ, & à sacris interdicti, ob cuius culpam etiam domus eius, seu familia interdicta erat ab oblationibus, & ab Ecclesiæ ingressu.

Fit

Fit autem ibi sermo, vt Turrecremata ibidem exponit, de oblationibus voluntarijs, non autem de debitis, & necessarijs, vt de decimis, & similibus, quæ etiam ab inuitis extorquenda sunt, vt 17. quæst. 1. can. 10. & glossa in dicto canon. Oblationes.

Et iterum dicit Augustinus, *Communionem tibi interdico, donec peracta pro ausibus, vel errore à me definita tibimet pœnitentia, & tempore ordinato pro hoc facto corde contrito, & humiliato dignum offeras sacrificium Deo.* Quæ verba nullam interpretationem, vel glossam recipiunt, quin de proprio interdicto, quod prohibet sacramenta, accipienda sint; Et hoc sufficit ad antiquitatem interdicti ostendendam; floruit enim D. Augustinus ante mille, & ducentos annos.

Sed de interdicto personali, seu de personæ censura, quæ etiam ipsa loca sacra, seu Ecclesias respectu alicuius certæ personæ respicit, omninò loqui Augustinum ex responsione eiusdem Bonifacij Comitis huiusmodi censura Ecclesiastica ab Augustino verberati, omninò cognoscitur, quæ sic habet: *Humilis saluto, quod primum est: Suscepi autem tremens sanctitatis tuæ verba verberibus plena. Scio, quod veniæ præparatur, qui ab Augustino perfectißimo Sacerdote corripitur; nec debet Episcopo denegari, quod voluntas facit, aut casus. Ipse enim sibi denegat curam, qui suam medico non publicat causam. Hominem ergo pijßime Pater è liminibus Ecclesiæ raptum tuis sanctis aspectibus*

 iußio

iusfio mea, furorque subduxit. Alieno non sunt facta ista consilio; Dei, & sanctorum eius regimine viuo. Illum itaque virum morte dignißimum, quem (vt dixi) meus de Ecclesiæ foribus furor abstraxit, vitæ tuis iussionibus donamus illæsum. Agnosco culpas. Indignæ meæ lachrymæ iungantur tuis fletibus iustis, quo poßit hæc nota nigra scriptatione deleri. Ecclesiæ mihi introitus non negetur: illic spero veniam, vbi admisi culpam; oblatio verò domus meæ, vt tua sanctitas iussit, ad cœlestis regis mensam eius manibus offeretur. Hactenus Bonifacius Comes. Ex cuius verbis clarissimè cognoscitur, se interdicto personali ab ingressu Ecclesiæ affectum fuisse. Fatetur enim, se à liminibus Ecclesiæ eiectum fuisse; petit instanter, vt introitus Ecclesię ei restituatur, atq; etiam vt oblationes domus suæ per manus Clericorũ receptæ Deo ibidem offerantur; prohibetur igitur, tales oblationes fieri in Ecclesia, quod sapit naturam interdicti localis, partialis, vel specialis, saltem respectu talis personæ; licèt simpliciter sit dicenda hæc censura, personalis.

Præterea ad antiquissima, ac prima Christianorũ sæcula recurrentes ex Canonibus Apostolorum idem cognoscimus. Etenim in can. 6. 7. 8. 50. & 61. eiectio quorundam delinquẽtium ab Ecclesia fieri iubetur; Eiectio autem à loco, vel à re sacra specimen quoddã interdicti præsefert. Et licèt Christus eiecerit è templo ex funiculis facto flagello ementes, & vendentes;

non

non tamen illis tunc templum interdixit, sed corporali pęna eos propria manu puniuit, vt Anacletus epist. 2. & Pius I. epist. 1. & Iulius I. epist. contra orientales Episcopos affirmant, necnō Cyrillus lib. 2. cap. 28. & Chrysost. homil. 22. interdicti censuram, quæ spiritualis est, Apostolis, cæterisque Ecclesiæ Præsulibus exequendam, & exercendam relinquens. Cępit namque hæc censura exerceri etiam tempore Apostolorum, à quibus instituta fuit, vt clarius ex alijs corū canonibus mox citandis constabit. In canone enim 13. 45. 53. & 66. illi, qui in eos commiserint, suspēduntur à cōmunione, nempè, Eucharistiæ. Quod reipsa idē est, ac à sacra cōmunione interdici, & excludi; & id imponitur, vt pęna specialis ab excommunicatione distincta, cum hæc plures, & ampliores effectus habeat; necnon vt distincta à suspensione propriè dicta, cum pœna illa priuationis, vel suspensionis à communione, etiam laicis imponeretur, vt in can. Apost. 62. 65. & 66. vndè in illis, formaliter loquendo, suspendi accipitur, pro prohiberi, & interdici. Sic etiā in can. 37. dicitur, Clerici verò Ciuitatis communione priuentur. Et in can. 16. priuatur communione Episcopus, apud quē morati fuerint Clerici, qui absq; licentia proprij Episcopi ad alienam parochiam, seu Diœcesim migrauerint. Idem est autem priuari communione, ac ea interdici, vt inferiùs demōstrabimus; Omnis enim interdictus est quidē materialiter suspē-

B sus,

ſus, non tamen formaliter, contra ea, quæ tradit Io. Calder. in tract. de interdict. Atque hic modus imponendi pęnam interdicti à ſacra communione eſt frequēs in ſacris Concilijs, vt videre eſt (omiſſis alijs) in Concilio Arelatenſi 2. tempore Sylueſtri Papæ I. habito can. 11. & 23. vbi à communione ſuſpenduntur, qui pōdere perſecutionis, & dolore victi negare, & ſacrificare compulſi fuerint; quibus tamen conceditur, vt duobus annis inter cathecumenos, triennio inter pęnitentes habeantur, à communione tamen ſuſpēſi, hoc eſt, prohibiti, & interdicti. Idipſum autem, quod probamus, verum eſſe, ſatis quoque apertè deprehenditur ex lib. 2. Clementis conſtit. Apoſt. cap. 39. 43. & 57. Horum canonum Apoſtolorum auctoritatem receptam, & indubitatam eſſe, ſaltem quoad aliquem eorum certum numerum, cēſet, & probat Sixtus Senenſis lib. 2. Biblioth. ſanct. Humbertus enim Cardinalis quinquaginta canones Apoſtolorū ab Eccleſia recipi ſcribit in lib. aduerſus Nicetam; prout etiam Gratianus ex Leone IX. refert in diſt. 16. Decreti. Cui rei nonnulli doctiſſimi viri ſubſcripſerunt, vt Turre cremat. in dicta diſt. & alij; atque de his docet Sixtus, non eſſe intelligendum decretum Gelaſij diſt. 15. can. Sancta Romana Eccleſia. Sed de nonnullis alijs Apoſtolorum canonibus adulterinis, & ab hæreticis deprauatis, atque corruptis Zephyrinus Papa epiſt. 1. putat ſeptuaginta, vel certè

ſexa-

sexaginta esse veros, & indubitatos canones Aposto lorum, quos acerrimè, ac perpugnaciter defendit Turrianus lib. 1. cap. 19. 20. & sequen. Sed rem nostram prosequamur.

Tertullianus lib. de pudic. cap. 4. huius censuræ effectum pulchrè describit his verbis: *Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora, & in sexus vltra iura naturæ non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submouemus: quia non sunt delicta, sed monstra.*

Hinc ritus ille pœnitentium antiquissimus emanauit, de quo fit mentio in Concilio Agathensi, & habetur in Decretis dist. 50. canon. In capite Quadragesimæ. Eijciebantur enim rei pœnitentiarum, seu ipsi pœnitentes ab Ecclesia in die Cinerum Diacono eos insequente, ac canente responsorium, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*; vt etiam legitur in Pontificali Romano. Statuebanturque extra portam Ecclesiæ, cuius ingressus illis non patebat vsque ad diem Cœnæ Domini. Quo etiam tempore à sacra communione arcebantur, vt patet in canon. Cœnæ. de consecratione dist. 2. Quod si pœnitentia imposita per illud temporis spatium absoluta non fuisset, iterum post octauam Paschatis arcebantur ab Ecclesia, extra quam manebant vsque ad similem diem sequentis anni; Quod etiam repetebatur vsque ad complementum pœnitentiæ, & quandoque vsque ad finem vitæ extra Ecclesiā manebāt, vt dicitur in can. Admonere.

 33. quæst.

33.quæst.2. De quo ritu plura scripsimus in lib. 4. de anno Iubilęi cap.14.dub.1. Hoc Concilium celebratum fuit sub Symmacho post annum à Christo quadringentesimum sextum. Vides hìc apertissimè interdicti vsum antiquissimum, tàm ab ingressu Ecclesiæ, quàm à sacris.

Verùm ante tempora Alexandri III. Papæ vsum censuræ interdicti in Ecclesia fuisse, apertissimè constat ex Clemente I. qui lib.6. Apost. Constit. cap.18. sic scribens: *Impios hæreticos non pęnitentes discludite, & semouete à fidelibus, & eis Ecclesiam Dei interdicite: vt omnibus modis ab eis declinent, neque vlla cum eis sit sermonis, aut precationis communitas.* Præterea ex epistola Ioannis Papæ VIII. qui per ducentos, & vltra annos Alexandrum III. præcessit, & regnauit circa annum Domini 874. Hic in epist. 68. quę habetur tom. 3. Decretal. Summorum Pontif. expressis verbis pœnam interdicti personalis à sacra communione imposuit ei, qui mandatis eius non obtemperauerit. Eius verba sunt hæc: *Tamdiù sancto corpore, ac precioso sanguine Domini nostri Iesu Christi per duos menses à die numerandos, qua huius epistolę tomum acceperis, esto priuatus; quamdiù his obstinatus decretis nostris minime obedientiæ colla subimiseris.* Hæc ille. Atque hic est primarius, ac principalis effectus interdicti, quod etiam per verbum, priuare, imponitur, vt supradictum est.

Amplius Gregorius VII. qui per centum annos ante-

anteceſſit Alexandrum III. ſæpiſſimè in ſuis epiſtolis & rei, & nominis interdicti apertè mentionem facit. In lib. 2. ſui Regiſtr. epiſt. 2. conqueritur, quòd Epiſcopus Pictauenſis à Legatis Apoſtolicæ ſedis interdictus officium Epiſcopale vſurpare præſumpſerit. In epiſt. 4. eiuſdem libri interdictum à ſacra communione, & à diuinis officijs contra Epiſcopum, & eos, tàm laicos, quàm Clericos, qui auxilium, & fauorem prętiterint in impugnatione iuſtitiæ, promulgauit. Idem Gregorius VII. lib. 3. Regiſtr. epiſt. 16. Romanenſibus Clericis ſcripta, introitum Eccleſiæ interdicit, & prohibet omnibus hominibus, donec Clerici pręfati ſuo Archiepiſcopo Viennenſi lata ſententia per Hugonem Dienſem Epiſcopum, cui cauſã commiſerat, obedierint. Eodem libro interdixit, ne Regi Henrico ab eodem Gregorio depoſito vllus tanquam Regi inſeruiret; Ita legitur in depoſitione eiuſdem Regis, quæ ponitur immediatè poſt epiſt. 5. lib. 3. tom. 3. Decretal. Summorum Pontif.

De interdicto quoque ab ingreſſu Eccleſiæ fit mẽtio in Synodo acta à Gregorio VII. Romę anno ſui Pontificatus quinto, vbi interſuerunt ferè centum Antiſtites, in quo Calodous Parmenſis Epiſcopus ſedis Apoſtolicę Legatus tertio factus Apoſtata, & Hęreſiarca ab ingreſſu dictę Eccleſię ſubmouetur. Habetur hoc Concilium lib. 5. Regiſtr. poſt epiſt. 14. eiuſd. Greg. Item epiſt. 15. eiuſd. lib. interdicit Pontifex

tifex

tifex omnes illos, qui aliquo ingenio, studio, aut violentia impedierint Archiepiscopos, Episcopos, Religiosos, Clericos, necnon laicos, ne ad restaurandam regni Teutonici, in quo constituti erant, pacem, possint conuenire, & conuenientes iustum, & legalem huic discordiæ finem imponere. Item epist. 18. lib. 7. ponit, & decernit interdictum ab introitu Ecclesiæ contra Abbatem Pezanensem, nisi restituat Ecclesiam, vndè lis erat Aureliacensi; atq; etiam ipsi monasterio interdictum locale, his verbis: *Quod si forte spiritu superbiæ induratus acquiescere noluerit, & monasterio illi, quod inuasum est, officium diuinum, & inuasori nostra auctoritate omnis Ecclesiæ interdicas introitum.* Vbi vides interdictum locale, & personale.

At verò de interdicto locali est egregius locus eiusdem Gregorij VII. lib. 2. Registr. epist. 5. Vbi per vniuersam Franciam omne diuinum officium publicè celebrari interdici mandat. Quod certè interdictum locale generale quoad omnes Ecclesias Regni Franciæ intelligendum est.

Idem lib. 4. Registr. epist. 20. pręcipit Parisiacensi Episcopo, vt coepiscopis suis significet, quatenus per totã Fráciã ex auctoritate Apost. sacerdotibus à turpitudine fornicationis non cessantibus, omne officium sacris altaribus ministrandi penitus interdicãt; quod si tepidi in hoc essent, mandat, vt ipse oĩ populo, ne eorũ vlterius officiũ suscipiat, vbiq; interdicat.

Adria-

Adrianus II. qui sedit circa annum Domini DCCCLXVIII. interdictum minitatus est Carolo Caluo, ni relinqueret Lotharij Regnum, filio ipsius Ludouico fruendum.

Adrianus item IIII. Vrbi Romæ sacris interdixit ob trucidatum à Romanis Vidonem Cardinalem S. Pudentianæ, & Roma ipse excessit, & aliquandiu abfuit, Vrbeuetum cum aula Cardinalium commigrãs. Quod accidit sub finẽ anni MCLIV. Vide Sigon. lib. 12. Reg. Ital.

Sixtus IV. hoc nomine inter alia Florentinis sacris interdixit, quòd Archiepiscopum Pisanum ad fenestras suspendissent, sacerdotem necassent, Cardinalem Sancti Georgij Raphaelem Riarium captiuum tenuissent, vt nonnulli scriptores referunt.

S. Methodius alter Morauorum cum B. Cyrillo Apostolus, Regẽ excõmunicauit, & Regno sacris interdixit, quod in ipsum sacra peragentẽ canes venaticos immisissent, vt scribit Æneas Syl. hist. Boem. lib. 1. cap. 13. Floruit hic Methodius circa annum Domini octingentesimum septuagesimum nonum.

Heraclius Sanctonensis teste Gregorio Turonensi lib. 5. hist. cap. 36. Nantium Comitem ob interfectũ presbyterum ad communionem non admisit: Quod idem est, ac sacris illum interdixisse.

De huius autem interdicti localis cẽsura fit quoq; mentio ab Alexandro III. in c. Nõ est nobis. extra. de spon-

sponsalib. licèt rem, non nomen interdicti ponat, vt ibi gloss. verb. Prouinciarum, & verb. Baptismum paruulorum; in quo capite non tanquam de re noua, sed vsu recepta, & antiqua interdicti pęnam ferens, pręcipit Pontifex, Regem Anglorum filijs suis vxores, quas iniustè detinebat, restituere. Est hoc interdictum locale, & speciale, earũ nempè Prouinciarũ, in quibus vxores illæ erant, donec in eis versarentur. De interdicto locali, vtens hac voce interdicti, loquitur idem Pontifex in Concilio Lateranensi part. 44. c. 5. De interdicto quoque locali fit mentio in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Anno salutis MCCXV. celebrato, in can. 58. his verbis: *Celebrare diuina possunt tàm Monachi, quàm Clerici tempore interdicti, sed exclusis excommunicatis, & interdictis ianuis clausis, & suppressa voce, non pulsatis campanis.* Et idem Pontifex in cap. Responso. de sent. excom. concedit, vt tempore interdicti semel in hebdomada, vel in mẽse verbum Dei in Ecclesia prædicetur, atque etiam sacramentum confirmationis administretur. Deindè Gregorius IX. cap. Permittimus. de sent. excom. indulsit, vt semel in hebdomada missa celebraretur ad consecrandum sanctissimum sacramentum pro viatico dando decedẽtibus in pœnitentia; idq; actum fuit circa annum Domini MCCXXX. Innocentius verò IIII. qui regnauit anno MCCXLV. vt habetur in cap. Quod in te. de pęnit. & remiss. declarauit, tempore

pore interdicti non solùm morientibus sacramentum pœnitentiæ, sed etiam viaticum denegandum non esse, & clericis decedentibus ex gratia, si tamen seruauerint interdictum, in cœmeterio Ecclesiæ cum silentio sine campanarum pulsatione sepeliri posse, & in conuentualibus Ecclesijs bini, & bini, vel simul tres horas canonicas legere, non autem cantare possent, & cruce signatis, & peregrinis pœnitentiæ sacramentum misericorditer largiendum induisit. Anno deindè CXXX. Bonifatius VIII. constituit, vt sacramentū pœnitentiæ etiam sanis ministrari posset, vt quotidiè missam celebrari, diuinaque officia alia, submissa tamen voce, ac clausis ianuis, & sine sonitu campanarū recitari, & in quibusdam festiuitatibus, videlicet Natiuitatis Domini, in festis Paschalibus tàm Resurrectionis, quàm Pentecostes, quod intellige in die primo tantùm dictarum festiuitatum, & in festo Assumptionis Virginis Mariæ diuina celebrari posse apertis ianuis, & cum pulsatione campanarum, vt habetur in cap. Alma Mater. de sent. excom. in 6. etiam non exclusis interdictis; illis tamen, qui causam dederunt interdicto, ad altare non appropinquantibus, sed ad humilitatis exemplum, & ad reconciliationis affectū excitandum à longe astantibus. Martinus deindè V. & Eugenius IV. etiam festum corporis Christi cum tota octaua addiderunt. Et Leo X. in festo Conceptionis B. Virginis, & eius octaua relaxationem, seu

C suspen-

suspensionem interdicti concessit, vbi recitatur proprium officium Conceptionis.

Satis igitur constat ex dictis, institutionem huius censuræ interdicti non esse nouiter in Ecclesia inuentam, sed ex temporibus Apostolorum originem trahere, & per continuatas series sęculorum Ecclesiam pro opportuna rerum occasione ea vsam fuisse. Quòcirca nouissimè Concilium Tridentinum sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione missæ, huius interdicti mentionem faciens, inquit: *Deindè, vt irreuerentia vitetur, singuli in suis diœcesibus interdicant, nè cui vago, & ignorato sacerdoti missas celebrare liceat.* Atq; iterum eandem significans pęnam subdit: *Neminem præterea, qui publicè, & notoriè criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittāt.*

Quod si quęras, An nomen cēsurę vniuocè, vel analogicè de his tribus censuris dicatur, excommunicatione, suspensione, & interdicto. Respondendum est, omnes quidem essentialiter censuras esse; crediderim tamen, nomen & rationem censuræ analogicè de illis dici, ac prędicari, ita vt per se primo, ac principaliter excommunicationi conueniat, cęteris verò proportione quadam seruata secundario, & per attributionem, seu participationem, licèt quidditatiuè, & verè omnes tres sint censurę; est enim excommunicatio, tanquam primum analogatum dignitate, effectibus, grauitate, amplitudine, ac vniuersalitate omnes alias

censuras

censuras antecedens; cęterę verò inferiorem locum respectu illius obtinent in Ecclesia, & interdictum ali quo modo ad suspensionem reducitur, immò sępè eodem nomine suspensionis appellatur; suspensio verò ex parte, & quoad aliquos effectus excommunicationem imitatur.

Qua etiam ratione D. Thomas in addit. ad 3. part. quæst. 21. artic. 1. ad 4. dicit, excommunicationem minorem non habere rationem perfectam excommunicationis, sed aliquid ipsius participare; immò, vt inferius dicemus, interdictum antiquioribus sæculis, tãquam dispositio quędam ad excommũnicationem ferẽdã, adhibebatur. Vndè hęc cẽsura maiori solẽnitate, quàm cæterę, fertur, publicatur; & aufertur. Quare excommunicatio maior à Tertulliano loco citato dicitur diuina censura; à Synodo Agrippinensi tempore Iulij II. celebrata, cęlestis plaga; & à Toletano 12. cap. 10. seueritas regia appellatur.

Apud veteres etiam gentiles ante Christi aduentum præcesserunt quidam ritus excommunicationi quoad aliquem effectum similes, vt Plato videtur innuere lib. 9. & 10. de leg. & ibidem Ficinus, & Alex. ab Alex. lib. 3. genial. cap. 5. Sic Hercules noluit se tangi à Theseo, & Orestes non est admissus ad mensam, vt ex Philippo refert Turrianus lib. 2. in Clem. constit. cap. 42. in fin. & lib. 4. cap. 7. in fin. Sic etiam quidã ritus similis interdicto apud eosdẽ gẽtiles fuit;

Druydæ enim Gentiliũ Gallorũ sacerdotes (sic enim dicebantur à Druy Rege quarto Celtharum, vt Cęsar scribit lib. 6. de bell. gallic. & Plin. lib. 16. cap. 44. & Tacit. de german. morib.) si quis priuatim, aut publicè illorum decreto inobediens fuisset, illum sacrificijs interdicebant, & tales interdictos alij vitabant, vt eodem lib. 6. affirmat Cęsar his verbis: *Siquis aut priuatus, aut populus eorum decreto non stetit, sacrificijs interdicunt. Hac pęna apud eos est grauissima. Quibus ita est interdictum, ij numero impiorum, ac sceleratorum habentur, ab ijs omnes decedunt, aditum eorum, sermonem defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque ijs petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur.* Hæc Cęsar. Cuius sententiam Tiraq. lib. 1. de vtroque retract. tit. 1. §. 1. gloss. 9. num. 271. vitiosè refert. Quosdam quoque impios tecto, aqua, & igne Græci, ac Romani interdicebãt, vt ait Cicero orat. pro dom. sua. Budę. in l. penu. ff. de donat. int. vir. & vxor. Lact. instit. diuin. cap. 10. Couar. cap. Alma mater. par. 2. §. 1. num. 1. Duar. de sacris Eccles. ministr. lib. 1. cap. 3. Vndè apud veteres Sacrificus rem diuinam facturus, dicebat; *quis hic?* qui enim aderant, respondebant, *Multi, & boni*: atque hæc partim ominis causa dicebantur; oportebat enim in sacris benè ominata dicere: partim vt, si quis esset sibi conscius admissi piaculi, discederet à mysterijs. Quare prouerbium illud emanauit: *Multi, bonique*. Plutarchus opuscul. de inuidia,

dia,& odio refert, Athenienses eos, qui Socratem calumnijs oppresserant; sic publicè auersatos esse, vt neque illis ignem accenderent, neque interrogantibus responderent, neque eadem aqua in balneo cum illis lauari vellent; quin parachytas, seu aquarum effusores pollutam aquam effundere, & nouam infundere cogerent: tantisperque id agerent, donec illi victi publici odij tędio vitam finierunt. Sic etiam Ireneus lib. 4. cap. 14. refert, Ioannem Apostolum eodem balneo cum Cherintho vti noluisse; quod ęmulati subindè orthodoxi, vt Theodoretus scribit lib. 4. cap. 14. Eunomium Episcopum Arrianum in balneo lauantem inuenientes, aquam contagione infectam rati, eam in cloacam miserunt, & nouam subindè infundi imperarunt. Sed nec illud prætereundum est, tanquam admiratione dignum, teste Nicephoro lib. 11. cap. 21. quod Samosatę pueri ludentes in foro pilam, quæ pedes muli contigerat, quo Lucius item Arrianus, ac Eunomij successor per forum transiens, vehebatur, pollutam existimantes, igne purgarunt. Scribit Plinius lib. 6. cap. 22. Regem apud Arabes, si quid deliquerit, morte mulctari, nullo interimente, auersantibus cunctis, & commercia etiam sermonis negantibus. Aethiopibus quoque illud solenne fuit, vt sacerdotum voce mortis sententiam, vel in reges suos, si quid sceleris commisissent, enuntiarent. Eiusmodi illud est Horatij.

Vetabo

Vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanę, sub ijsdem
Sit trabibus, fragilemq; mecum
Soluat phaselum.

Et sic excommunicationis effectus quidam apud Gentiles denotabatur. Et illud Nestoris apud Homerum Iliad.1. in belli ciuilis, ac seditionum authores insigne:

Aphrìtor, àthèmistos, ànèstiòs èstin èkìnos
Os polèmu èrat a èpidimìu ocryòendos.
Expers ille tribus, tectoq; indignus, & exlex,
Bella placent inter ciuicunq; horrentia ciues.

Apud hebræos quoque inobediens extra synagogas fiebat, idest, de congregationibus, & templo eijciebatur, Ioan. 9.12. & 16. & Iansenius cap. 78. concordantię. Iosephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. refert, terribile quoddam excommunicationis genus apud Essenos fuisse his verbis: *Deprehensos verò in peccatis à sua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerumque morte consumitur: illis quidem sacramentis, & ritibus obligatus, neque capere ab alijs oblatum cibum potest; herbas verò more pecudum decerpens, & fame exesus per membra corrumpitur: ob quod etiam plurimos plerumq; miserati, extremum spiritum agentes receperunt; sufficientem pro peccatis eorum, quæ vsque ad mortem adduxerunt, pęnam fuisse censentes.* Hęc ille.

Scle-

Solebant autem soli seniores, & Archisynagogi apud hebræos excommunicare, non autem quilibet de populo, vt post alios notauit Maldonatus in cap. 18. Matth. Eratque apud illos hæc pęna summæ ignominię, cum (vt dictum est) extra synagogam, quod græcè vna dictione iucundius profertur, idest, *aposynagôges*, fierent, vt notauit Iansenius in sua concordantia Euangelica cap. 78.

Verum propria ratio interdicti, & excommunicationis non fuit ante Ecclesiam Christianam, cum apud Sacerdotes legis naturæ, aut veteris, & multo minus gentilium non fuerint propriè claues, nec potestas excommunicandi, sicut nec fuit sacramentum pęnitentię. Ita D. Thomas 3. part. quæst. 84. art. 7. ad 2. & quæst. 86. art. 6. ad vltimum. Soto distinct. 22. quęst. 2. artic. 1. distinct. 20. quæst. 1. artic. 3. distinct. 2. quæst. 2. artic. 2. & distinct. 18. quęst. 1. artic. 2. Victoria quæst. 4. de clauibus. §. 14. & in relectione de potestate Ecclesiastica num. 6. Bonauentura distinct. 24. in fine. Turrecremata in Summa de Ecclesia. lib. 1. cap. 93. conclus. 12. & lib. 2. cap. 49. ad 3. Soli enim Ecclesiæ Christianæ, eiusque Prælatis Christus huiusmodi potestatem ferendi censuras concessit, quæ non solum externè punirent, sed etiam internè quoad animam: priuant enim hominem nonnullis bonis spiritualibus, nempè, vsu sacramentorum, & suffragijs Ecclesiasticis, &

& Christianis, non tamen censura, vt sic, & præcisè accepta priuat hominem gratia habituali, vel charactere, vel virtutibus infusis, quibus homo tantùm per peccatum non inuitus priuatur, vt optimè dixit Suarez tom. 5. disp. 1. sect. 2.

Ad extremum in hoc capite notãdum est, quòd sicut in eiectione Adę à Paradiso, Gen. 3. & in eiectione Agar ancillę Sarę, Genes. 21. ad Galat. 4. *Eijce ancillam*, fuit figurata eiectio, quę fit ab Ecclesia per excommunicationem, vt inquit D. Thomas in 11. cap. Apocal. & D. August. lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 40. necnon D. Hieron. in cap. 6. Oseæ; Sic per gladium versatilem, & flammeum ante paradisum, qui Ecclesiam significabat, collocatum, ad prohibitionem Dei significandam, qua arcebantur primi parentes ab illius ingressu, re ipsa interdicti pęnam adumbrari, & figurari non abs re dici potest; ita vt ea ratione gladius ille non solùm fulgentissimus esset, sed etiam versatilis, seu anceps, idest vtrinque acutissima acie, & ad feriendum acerrima pręditum, quo non solùm pœna excommunicationis, sed etiam interdicti in Ecclesia fore significaretur; cum vtraque illa pœna, & eiectione à Paradiso, & prohibitione ne illùc reuerteretur, Adam affectus fuerit; atque hac ratione Patres excommunicationis, & interdicti censuras ignem, & gladium ignis appellant.

Neque verò crediderim, ab hac mystica ĩterpretatione

tione dissẽtire Augustinũ, immò potius astipulari omninò, cum 1. de Genes. contra Manich. cap. 27. dicat, dimissionem Adę à paradiso fuisse eiectionem à Catholica fide, & veritate, ideoq; collocatum eundem Adam fuisse contra paradisum, quia noscebatur eidem fidei contradicturus.

Duplicẽ porrò hãc Ecclesiasticã censurã excommunicationis, scilicet & interdicti, ex eo hac eadem eiectione primi parentis à paradiso figurari dixerim, quod dupliciter à sacro textu dicitur Adam eiectus; nec solùm eiectus, sed etiã proiectus, & violenta quadam missione emissus, vt ex Eugubino in lectione hebraica cognoscitur; *Emisit eum*, inquit scriptura, *Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est, eiecitque Adam*. Quorsum illa repetitio, *Emisit, eiecitque*, nisi vel ad confirmandam sententiam, vel ad figurandam duplicem censurę rationem, qua à paradiso Ecclesiæ excluduntur inobedientes; recipiendi, cum obedierint: nec enim frustra gladio, non qualicunque, sed versatili custoditur introitus: *Gladius versatilis*, inquit Rupert. lib. 3. in Gen. cap. 32. *sententia est diuini iudicij, quæ talis est, vt possit versari, id est, non semper eadem districtione claudat hominibus aditũ paradisi*; Quã Ruperti interpretationẽ gladio cẽsurarum, quo Ecclesia inobedientibus ostium occludit, optimè conuenire quis non videat; ea enim est Ecclesiæ censura, vt mutato rerum statu verti possit,

quàm facillimè, obediāt, dummodo rebelles; nec eadem districtione claudetur eis terreni aditus paradisi; cum pęnitentes ad se humiliter reuertentes numquā Ecclesia reijciat.

Nec etiam ritus ille, quo interdictum ad tempus longum fertur, vel diutius durat, recens, vel nouus est in Ecclesia, cum tempore Gregorij VII. per triennium Polonię Regnum cum maxima Populorum patientia, ac compunctione, interdicto suppositum fuerit; & tempore Gregorij XI. spatio septuaginta annorum Siciliæ Regnum interdicto afflictum fuerit; Apud Vrbinum verò tempore Martini IV. per triginta annos maxima seueritate, & rigore interdictū durauit; Vrbinates enim Guidoni Montefeltrio fauerant, qui trigesies bellum sedi Apostolicæ mouerat, vniuersamque Flaminiam (quam dicunt Romandiolam) ab Ecclesia seduxerat, vt Vrbinatenses annales referunt. Lege gloss. in cap. vlt. de sentent. excommunic. in 6. Simonem Maiolum lib. 3. de irregularitate. cap. 20. num. 5. Addit Soto dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 3. in Hispania creberrimè ferri interdicta; in alijs verò nationibus vix vno sęculo interdictū audiri: illā aūt rōnē opportunā cēsebāt olim Hispani ad interdicti pęnā excutiēdā, si intra triduū à populis personę excōicatę, quarū causa interdictū positū erat, vrbe pellerētur, vt sic ab interdicti pęnis se liberarēt.

Quod si pij, ac religiosissimi Veneti idem fecissēt, expel-

expellendo breuissimo quodam tempore personas excommunicatas, quæ dederunt causam interdicto; vtique illius onere miserabiliter oppressi non essent: Vndè non ex intentione ferentis (vt Pseudotheologi cēsēt) sēper ad triduū in ea regione imponebatur, sed ex Populorum deuotione, & diligentia id accidebat.

Est sanè antiquissimus in Ecclesia Dei vsus huius censurę; sicut etiam suspensionis, de qua meminit Cyprianus epist. 10. & August. epist. 137. & 236. Atq; etiam depositionis, vel degradationis, cuius mentionē facit Tertullianus lib. de Bapt. cap. 17. & idem Cyprianus epist. 65. & idem August. epist. 235. ad Quintian. Et licèt excommunicatio sit absolutè intercēsuras grauissima: attamē interdicti pęna est populis ingratissima, luctuosissima, ac summę formidinis, quod ex eius definitione perspicuè constat.

Est enim interdictum censura Ecclesiastica prohibens directè, & secundum se vsum nonnullorum sacramentorū, & omniū diuinorū officiorū, atq; ét Ecclesiasticę sepulturę, in quātum hæc sunt quędā bona Ecclesię, quibus illi fideles, qui nō sunt canonicè impediti, sigillatī fruūtur. Sic ferè Sot. in 4. dist. 22. q. 3. ar. 1. ex cap. Nō ex vobis. de spons. & cap. Quod in te. de pęnit. & remiss. Nauar. c. 27. nu. 164. & Tolet. in Sum. lib. 1. c. 18. & Suarez disp. 32. sect. 1, Quāuis Couar. in c. Alma 2. p. 5. nu. 2. aliā nō magistralē, sed cōfusā, & minus sciētificā illius definitionē ponat dicēs,

Interdictum esse suspensionẽ à diuinorum officiorum, sacramentorumque actiua, & passiua celebratione respectu alicuius loci, aut personarum facta, Ecclesiasticam etiam prohibentem sepulturam. Vbi vides errores illius; non enim vna species per aliam definitur apud bonos logicos: nec in definitione nomina ęquiuoca ponenda sunt: nec solùm genus, sed etiam species interdicti in ea definitione complectitur, quod vitiosum est; cum definitio generica à specificis differentijs abstrahere debeat: alioquin nõ ipsum genus, sed ipsæ species definirentur. Debet enim illa definitio de interdicto in cōmuni adhiberi, quæ à personali, & locali abstrahat. Sed hæc ad ipsos logicos remittamus.

Est autem interdictum, vt etiam postremo loco hoc adijciamus, sicut peccati prima pęna, ita etiam vltima, atque postrema: Angeli enim mali peccantes perpetuò interdicto cœlestis loci, & supernarum sedium mulctati fuere. Sic Apocal. 12. dicitur: *Neque locus inuentus est eorum amplius in cælo, & proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt.* Quem locum scholastici omnes intelligunt de illo pręlio, quod inter Luciferum, & Michaelem, & eorum sectatores per intellectum, & voluntatem pro Ecclesiæ defensione gestum est in cœlo empyreo. Ita Magister sententiarum in 2. dist. 6. & ibidem omnes scholastici, & D.

Thom.

Thomas in 1. part. quæst. 63. art. 8. & Ecclesia in officio Angelorum. Hominibus quoque primò peccantibus interdicti pęnam à paradisi ingressu inflictam fuisse, præter Patres superiùs adductos, affirmat quoq; Turrianus lib. 1. pro canonib. Apostol. cap. 29. Lege etiam glossam interlinearem in cap. 3. Genes. & Lyranum in cap. 21. Genes.

Vltimam quoque pęnam peccati, quæ in extremo iudicio flagitiosis hominibus imponetur, perpetuum interdictum à Regno Dei esse, testatur Dominus, Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Et iterum ibidem: *Eijcite in tenebras exteriores.*

CAPVT SECVNDVM.

Exponuntur quatuor causæ Veneti interdicti.



VOAD secundum, vbi de quatuor causis, hoc est, efficienti, finali, formali, & materiali Veneti interdicti agendū esse duximus (est enim id eorū omnium, quæ dicenda sunt, basis, & fundamentum) præcipuè meminisse oportet, causam effectiuam, quę instituit hanc potestatem ligandi per censuram interdicti, fuisse Christum Dominū, qui Matth. 16. & 18. concessit Petro, & Ecclesiæ potestatem ligandi non coarctatam, vel limitatam ad hunc, vel illum modum, sed generalem, quæ omnes modos ligandi, non solùm ad pęnam, sed etiam ad culpam iustis de causis illam retinédo, si velit, gubernationi Ecclesiasticæ vtiles, ac necessarios per Ecclesiā declarandos, determinandos, ac disponédos comprehendit; aliàs imperfectam, & diminutam reliquisset potestatem. Ita colligunt Patres ex Matth. 16. *Quodcumque ligaueritis &c.* & 18. *Quæcumque ligaueritis &c.* & ex Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Qué locū de Episcopis propriè intelligi docent D. Cyprianus lib. 1. epist.

epist.3.& lib.4.epist. 9. & Basilius in Constitutionibus cap.22. Item ex 1.ad Cor.11. *Laudo vos, quod præcepta mea tenetis.* 1.Thessal.4. *Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum.* Et paulò post: *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis.* 2.Thess.3. *Siquis non obedit verbo nostro, hunc notate.* Hebr.13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim inuigilant, tanquam pro animabus vestris rationem reddituri.* Quem locum Theophylactus (vt in alia disputatione diximus) intelligit propriè de Episcopis. Vndè Basilius in constit. dicto cap. 22. exponens hæc Apostoli verba dicit, ideo eum subiunxisse. *Id enim vobis non est vtile*, seu, *Hoc enim non expedit vobis*, vt significaret, vltra peccatū, graue damnum, & punitionem eos sequi, qui non obediunt præpositis suis. In græco enim textu non legitur negatiuè, *Non expedit vobis*; sed positiuè, incommodum est, *àlysitelès gàr ymìn tùto*; quod incommodum, siue detrimentum Basilius interpretatur debitam pœnam ob culpam transgressionis. Sicut enim Ecclesia, hoc est, Episcopi, ac Summus Pontifex receperunt à Christo potestatem condendi leges Ecclesiasticas, & ferendi sententias censurarum; ita quoque puniendi transgressores, saltem pœnis spiritualibus, nimirum, excōmunicatione, suspensione, & interdicto, inobediētesq; aggrauādi, eisdemuè censuris iterum, atq; iterum onerandi:

lex

lex enim sine coactione, & punitione nullam vim habet, & potiùs ludibrio, quàm obseruationi populis exponitur, cap. Ex literis. de offic. deleg. Vti etiam docet D. Thomas 1.2. quæst. 96. art. 4. & 5. & 2. 2. quæst. 67. artic. 1. & quæst. 186. artic. 9. & lect. 3. in cap. 2. ad Roman. Quod etiam dixit Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. vlt. De qua re legendus est quoque Turrianus lib. 1. pro can. Apost. cap. 27. 28. & 29. & Soto lib. 1. de iust. & iur. quæst. 6. art. 4. Caiet. 2. 2. quæst. 186. art. 9. Castro lib. 1. de lege pęnali cap. 4. & 8. Palatius dist. 18. quæst. 3. Canonistę in cap. 1. de Constit. Couar. 2. part. spons. cap. 7. §. 7. num. 8. Fortun. Garz de vlt. fin. illat. 16. Ant. Gomez in l. 3. Tauri. num. 123. Burghos. in l. 1. Tauri. num. 459. Nauar. in Manual cap. 23. num. 55. & in can. Fraternitas. 12. quæst. 2. num. 22. Henricus de Synod. 3. part. art. 1. nu. 270. Atq; id etiã ex praxi Ecclesię constat, vt patet ex cap. Quærenti. de verb. significat. & ex Conc. Constant. necnon ex Bulla Martini V. contra errores Vuicleph, & ex Bulla Leonis contra Lutherum artic. 27. Potestate enim clauium commisit Dominus Prælatorum arbitrio, vt possint etiam in foro exteriori priuare fideles bonis spiritualibus, quantùm ad aliquos effectus, etiam per censuram interdicti prohibendo vsum quorundam sacramentorũ, omnium diuinorum officiorum, & sepulturæ, vt inferius dicemus.

Est

Eſt igitur Chriſtus prima cauſa efficiens huius cenſuræ, ſicut etiam aliarum. Miniſter verò in eius Eccleſia vniuerſalis, ac primarius eſt Summus Pontifex, in quo iure diuino omnis poteſtas à Chriſto Eccleſiæ data plenariè reſidet; qui cum non ſit alligatus, vt Epiſcopi, diſpoſitioni iuris communis; nec à Chriſto, ſeu iure diuino effectus huius cenſuræ, ſicut etiã nec aliarum actu, & in particulari ſint determinati, vt benè docet Soto in 4. diſtinct. 22. quæſt. 1, artic. 1. & nos in lib. 1. de anno Iubilæi cap. 10. aſſeruimus cum Victoria tract. de excommun. quæſt. 3. & Caietano tom. 1. opuſc. tract. 1. cap. 23. & alijs, poteſt illos variare, relaxare, mutare, augere, vel minuere, vt fecit Bonifacius VIII. in cap. Alma Mater. Vndè Papa poſſet concedere licentiam celebrandi in Eccleſia interdicta, etiam ſpecialiter; tunc enim cenſeretur ſecundùm quid ſuſpendère interdictum, vt rectè notauit Henriquez lib. 13. cap. 41. Quod non poſſet facere Epiſcopus, cùm ſit ſubiectus iuri communi, vt docet quoque Hoſtien. in cap. Ad hæc. de appellat. & in cap. Vt priuilegia. de priuileg. Armill. verbo Interdictum §. 34. & 35. & alij. Hinc etiam ſequitur, locale interdictum, publicum præcipuè, quale eſt Venetum, à Papa poſitum ad certum, vel incertum tempus, à nullo inferiori, etiàm Epiſcopo relaxari, tolli, vel ſuſpendi poſſe. cap. His qui. de ſent. excommun. lib. 6. Quod tamen in caſibus à iure expreſſis, & in

nonnullis festis diebus, quasi ad tempus, suspéditur. Quod idem dicendum est de interdicto publico personali à Papa specialiter alicui imposito, vt benè sentit idem Henriquez eod. lib. 13. cap. 51. num. 3. in gloss. quicquid dicat Nauar. num. 162. cap. 27. Nec Concilium Tridentinum sess. 24. de reformat. cap. 6. sentit oppositum, cum ibi nullam faciat mentionem de interdicto, sed tantùm de suspensione, & irregularitate, si procedat ex delicto occulto. Quod si interdictum personale à iure latum, etiamsi sit reseruatum Papæ, non sit publicum, sed proueniat ex delicto occulto, nec sit deductum ad forum contentiosum, potest Episcopus secundùm aliquos per decreta Concilij Tridentini absoluere in foro conscientiæ, vt potest in omni suspensione occulta, etiam reseruata, & in pęna irregularitatis, quæ prouenit ex occulta violatione censurę (omissis alijs) dispensare; Quàmuis de interdicto non ita exprimant doctores, nec de eo (vt dictum est) mentio fiat specialis in dicto cap. Liceat. à Concilio Tridentino. At verò, etsi olim ante Concilium Tridentinum huiusmodi dispensatio irregularitatis esset Papæ reseruata in dicto cap. Is qui. de sent. excom. lib. 6. Syluest. verb. Irregularitas. §. 18. & verb. Interdictum vltimo. per totum. Hodiè tamen per Concilium Tridentinum etiàm Episcopis, in foro consciétiæ tantùm, & in occultis, quoad suos subditos, communicata est: Quàmuis nobis Laureti, etiam quoad externos,

externos, & peregrinos à Gregorio XIIII. concessa fuerit, cum potestate quoque communicandi illam duobus, aut tribus Lauretanæ Ecclesiæ pœnitentiarijs.

Causa verò finalis interdicti quadruplex est.

Primo enim imponitur hæc pęna, seu censura, tanquam medicina ipsi Principi, seu capiti Reipublicæ vtilis, & salutaris, cap. 1. de sentent. excommun. in 6. Qua ratione interdum etiam decernitur contra innocentes, qui sunt pars populi, & loci nocentis, & crimini obnoxij, & ob alterius culpā, in qua Princeps, seu Dux Reipublicæ obduratus persistit. Expedit namque, vt eo casu gladius Ecclesiæ contra populum Duci subiectum incrudescat, ac seuerior euadat, vt dùm Ecclesia populum indignatione commotum prouocat contra Principem, ipse Dux, vel Princeps iusta populi innocentis ira perterrefactus tandem resipiscat: Populus enim sæpè, vt in sacris scripturis legitur, punitur pro delicto Principis, & præcipuè ad eiusdem Principis vtilitatem spiritualem: sibi verò imputet, qui bona medicina abutitur, vt Pharao, qui flagellis Dei noluit emolliri, sed indiès durior euadebat.

Secūdo infligitur interdictum ob maiorem molestiam, & afflictionem Principis; cum enim conspiciat suos subditos cōmodis spiritualib. priuari, iure nēpè

audiendi ſacra, recipiendi ſacramenta, & honore ſepulturæ, necnon pompis, & ſolennitatibus Eccleſiaſticis ſpoliari, campanarum quoque pulſatione deſtitui, omniaque graui ſilentio, & lachrymis plena eſſe; neceſſariò, ſi non ſit inſipiens, debet & ipſe vehementiſſimo dolore cruciari; cum enim ſubditi ſint partes, & membra Principis, eorum calamitates in caput redundant.

Tertia cauſa, ob quã indicitur interdictum, eſt ob defenſionem Eccleſię; cum enim ob Principis contumaciam, & obſtinationem ſpirituale quoddam bellũ intercedat inter ipſum, & Eccleſiam, licet Eccleſię in ſui defenſionem contra rebellem Principem gladium interdicti euaginare, & milites, ſeu ſubditos Principis moleſtare, quò minus ei faueant, & conſentiant, omneſque cognoſcant, Principẽ, ſeu Ducem perduellem Eccleſiæ eſſe: neque enim poteſt Eccleſia aliter ſuperiorum contumaciam cohibere, niſi illorum populos à diuinis excludendo, vt colligitur ex can. Miror. 17. quæſt. 4. Id enim rectè fit in deteſtationẽ ſpiritualis inimicitiæ Principis, quam ob crimen proprium cum Eccleſia contraxit, vt ibidem gloſſ. verb. Oblatio. & communiter Doctores, & Summiſtæ tradunt. Pro delicto enim Domini eius familia diuinis officijs iure optimo priuatur, & quandoque etiam tota prouincia, vt notat Turrecremata in dicto can. Miror. in fin. Et pro peccato Regis totum regnum, vt affirmat

firmat D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 2. ad 2.

Quarto ponitur interdictum, vt ostendat Ecclesia suum mœrorem, atque tristitiam de obduratione Principis, cum tunc temporis viæ Sion lugeant, eòquòd nemo sit, qui veniat ad solennitatem; quo luctu Ecclesia indicat suam pietatem, & commiserationem erga Principem obstinatum: deponit enim pompas, & Ecclesiasticas ceremonias ad peruersum Principis statũ significandum, vt demum ad Deum, & Ecclesiam cõuertatur; ita Toletus in Summ. a lib. 1. cap. 19. num. 11. Neque enim Ecclesia castigat ad perditionem, sed ad salutem, vt ex 1. ad Cor. 5. cognoscitur ibi. *Vt spiritus saluus fiat*. Licet enim subtrahere beneficia etiam spiritualia, proportione seruata, vt quis arceatur à culpa, vt in simili dixit D. Thom. 2. 2. quæst. 31. art. 2. ad 3. Et pro salute spirituali Principis, immò etiam cuiuscunq; proximi in necessitate positi, tenetur quis cum aliqua iactura, etiam rerum spiritualiũ, citra tamen peccatum, & diuinæ gratiæ amissionem, ei succurrere. Sic enim ordo postulat charitatis, vt nonnulla incommoda spiritualia pati quis rectè possit pro salute animæ eius, qui in extrema necessitate spirituali est positus, vt late probauimus in simili in lib. 1. nostro de Fuga. disput. 1. quæst. 1.

Ex huiusmodi igitur piissimis causis mouentur pastores ad infligendum interdictum. Qui autem mala inten-

intentione illud proferret, peccaret; Sicut etiam qui malo animo contra proximum sententiam excommunicationis pronunciaret, vt docet Nauar. in Manual. cap. 14. num. 24. Non tamen ob id interdictum nullum, vel inualidum redderetur, vt inferiùs dicemus.

Forma verò verborum, qua indicitur interdictũ, nulla est expressa, seu determinata in iure, vt notat Syluester verb. Interdictum 3. 5. 7. & Simon Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 20. num. 10. & Henriquez lib. 13. cap. 50. num. 4. Aliqua tamen requiruntur, quæ vicem formæ gerunt ad essentiam interdicti, vt quod in scriptis feratur, sicut & aliæ censuræ, vt habetur in cap. 1. de sentent. excommun. lib. 6. Et cum expressione causæ rationabilis, ob quam imponitur interdictum, ac præuia trina monitione, & speciali denunciatione nominatim facta in indiuiduo certi loci, vel certæ personæ, vt dicitur in cap. Reprehensibilis. de appellat. & cap. Statuimus. & cap. Statutum. de sentent. excommuni. in 6. si feratur in participantes cum excommunicatis ab eo, à quo emanat interdictum. Lege Nauar. in Manual. cap. 27. num. 164. & Henriquez lib. 13. cap. 50. num. 3. & Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 19. num. 9. Hæc autem admonitio necessaria est, quotiès interdictum fertur per modum censuræ, ad reprimendam contumaciam; quæ monitio debet præcedere denunciationem. Si autem aliquando feratur,

vt pura pœna, propter delictum; tunc non est necessaria monitio, sed incurritur ipso facto, vt post alios rectè docet Suarez tom. 5. disput. 36. sect. 3.

Denunciatio verò interdicti, etiam à iure lati, ad hoc vt illud obligationem inducat, & liget, ad effectum, vt tàm loca, quàm personæ euitentur, necessaria est, vt dicitur in Extrauag. Ad euitanda scandala. quæ lata fuit in Conc. Constant. prout refertur à D. Antonino 3. part. tit. 25. cap. 3. & in tract. de censur. cap. 83. Quæ constitutio licèt hodiè in Conc. Constant. prout nunc habetur, non existat, sed benè Basileensi sess. 20. circa fin. Tamen à Martino V. approbatam fuisse, testatur D. Antoninus loc. cit. ex multis probatis Authoribus; atque hodiè illa Constitutio ex praxi, & vniuersali consuetudine Ecclesiæ constanté vim habet, & in viridi obseruantia est. Quam rem fusè discutit, & declarat Suarez tom. 5. disput. 9. sect. 2. Adde tu in Concil. 3. Lateranensi à Leone X. sess. 11. eandem Extrauag. Ad euitanda. canonizatam fuisse.

Nec requiritur necessariò, quòd in sentẽtia interdicti ponatur verbũ, interdicimus, vt sentit Simon Maiol. lib. 3. c. 20. num. 10. & 11. Et aliàs interdictum effectum suũ nõ sortiri, malè asseruit Speculat. in tit. de dispen. §. Iuxta. vers. Quę autem dicimus. Quod tamen idem Maiolus limitat, verum esse in publico, & generali interdicto, non autem in priuato, seu particulari certæ alicui personæ faciendo.

Quæ

Quæ doctrina optimè refutatur à Suarez disput. 36. sect. 3. Sed sufficit poni verbum, separo, prohibeo, atq; etiam, suspendo, vel aliud simile, dummodò ex adiunctis, & antecedẽtibus, ac subsequentibus verbis significetur; sermonem fieri de hac censura interdicti, vt expressè constat ex cap. Non est vobis. de spons. Vbi tantùm mandat Papa, ne diuina officia celebrentur. Quælibet item prohibitio facta à suo Prælato ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extraiudicialiter, vim habet aliquo modo interdicti, saltem quoad illum effectũ, cuius sit prohibitio; nec alterius superioris licentia ei suffragatur, ipso, qui inhibuit, inuito, vt dicitur in Conc. Trident. sess. 14. cap. 1. de refor. Debent quoq; in forma censuræ ea verba definitè poni, quę certam speciem censuræ significent; aliàs sententia nihil efficeret, & nullius censurę effectum operaretur, vt rectè Suarez disput. 3. sect. 2. docet.

Debet item affigi in locis publicis, & ante hanc affixionem celebrantes diuina nullam incurrunt irregularitatem, etiam si sententia contineret, quod ipso iure censerentur interdicti, vt Maiolus ibidem affirmat, & Nauar. cap. 27. num. 187. Quod etiam decreuit Martinus V. in Conc. Cõstant. vt refert Syluester in verb. Excommunicatio 5. vers. Sciendum est 4. & Archiepiscopus Florentinus 3. part. tit. 26. cap. vlt. & Armill. in verb. Interdictum. num. 21. & 39.

Non

Non est tamen necesse, denunciationē interdicti ad singulas personas, vel loca prouinciæ deferri, sed sufficit publicatio, seu affixio in loco publico. argumento can. Quod dicitis. dist. 16. Et si in Metropoli publicatio facta fuerit, & illa pareat interdicto, totam prouinciam afficit, nec omnia alia conprouincialia, & dominij loca excusari possunt, quod sigillatim in ipsorum locis denunciatio facta non fuerit. cap. 1. de postulat. Prȩlat. Armill. verb. Interdictum. num. 29. Quod si à Principe, Duce, vel Senatu impedimentum ponatur, ne interdicti denũciatio, affixio, vel publicatio in Metropoli, vel alia parte prouinciȩ fiat; tunc, & eo casu interdictum ita afficit, ac si in Metropoli, & alijs locis certis sigillatim affixum, & publicatum esset: cum dolus, & culpa nemini patrocinari debeat, vt omnia iura docent, & tradit Turrecremata in Commentarijs super Decreto. Et in tali casu, quando impeditur affixio, sufficit publica notitia, quæ per euidentiam facti ex se publica, & patens est, & Ciuitati, vel Prouinciæ nota, ac per communem famam, vel per affixionem ad loca viciniora delata, vt docet Suarez tom. 5. disp. 37. sect. 2. præterquam quod in Pontificio interdicto affixio facta Romæ in acie Campi Florȩ, & in valuis Basilicarum Lateranensis, & Vaticanæ ita afficit, ac si in eorum Metropoli interdictum affixum fuisset, vt in literis Apostolicis declaratur. Publicè enim acta nemo debet, vel censetur ignorare. 12. q. 2. Qui & huma-

nis.8.quęſt.1.canon.Licet.& idem Turrecremata 1. quæſt. 4. canon. Turbatur. §.Notandum.num.7.& ita Parnomitanus cap. Nouit. de ſenten. excomm. & Roſella,& Syluester verb. Lex.q.6. & Greg. de Valentia tom.2.diſput.7.quæſt.5.punct. 5. Qui omnes aſſerunt, legem Pontificiã ſatis publicam eſſe, ſi Romę promulgetur. Nec in monitorio Pontificio requiritur citatio ex ſtylo Curię, licèt monitio vim citationis habeat, quæ tamen in notorijs (vt eſt in caſu Venetorum) neque eſt necéſſaria, vt Doctores Canoniſtæ docent, & Nauar.cap.27.num.11. & nos latiùs inferiùs dicemus.

Cauſa verò materialis interdicti, ſeu ſubiectum, non ſolùm ſunt perſonæ particulares, ſiue Eccleſiaſticæ, ſiue ſeculares, ſed etiam poteſt eſſe vniuerſitas in communi, cap. Quamquam. de cenſib.lib.6. vt etiam dicit Nauar.cap.27.num.168. Syluester verb. Interdictum 3.num. 1. Quæ tamen non poteſt excommunicari; niſi ſinguli de vniuerſitate, Collegio, vel Senatu eſſent culpabiles, vt ait Sylueſt. Excommunicatio 1. num. 10. vt in caſu moderno Venetorum accidit. Et locus, qui non poteſt ſuſpendi, poteſt interdici. cap. Si Ciuitas. & cap. Si ſententia. de ſenten. excommunicat. lib. 6. Sicut etiam Eccleſia materialis, capella, oratorium, hoſpitale, & ſimilia.

Extenditur quoque interdictum (vt ſuperiùs dictum eſt) ad innocentes, quatenus ſunt pars vniuer-

ſitatis

ſitatis pro alieno peccato, Principis nempè iuriſdictionem temporalem habentis, vt in eodem cap. Si ſententia. Quare rectè dicitur, interdictum eſſe maiorem pęnam excommunicatione, non intenſiuè, ſed extenſiuè. Nec mirum ſi pœna, & afflictio ſubditis, aut filijs imponatur pro peccato Domini, & Patris; cum ſubditus ſit quędam res Domini, ſicut filius Patris, etiam ſi non ſint participes culpæ eorum: habent enim cenſurę rationem pœnę, quantùm ad eos, pro quibus puniuntur; & quoad eos, qui puniuntur, etiam ſi innocentes ſint, rationem medicinæ. Ita D. Thomas 1.2.quæſt. 87.art. 8. Caſtro lib. 1. de leg. pœnal. cap. 3. facit reg. 23. de reg. iur. in 6. Innocentes autem, & qui inculpabiles ſunt, ſi ſint in gratia propter obſeruationem interdicti abſtinendo ab Euchariſtia, & ob reuerentiam, & obedientiam, quam profitentur erga Eccleſiam, & ſedem Apoſtolicam, atque etiam ob defenſionem Eccleſiæ, quam tanquam eius filij ſuſceperunt, promerentur, & augmentum gratiæ acquirunt, actumque meritorium, & religioſiſſimum exercent; vt rectè docet Angles part.2.quæſt.de excommun. art.6. concluſ. 1. Velle enim recipere Euchariſtiam, vel alia diuina officia celebrare contra præceptum, & ritum Eccleſię, peccatum eſt. Nec enim ſufficit bonum agere, ſed etiam neceſſe eſt illud benefieri. Vndè qui nõ ieiunus communicat, peccat, qui ſua manu, cũ ut

 laicus,

laicus, præsumit Eucharistiam recipere, peccat, & similia. Sic qui interdicti tempore recipit illam extra casus à iure permissos, grauissimè peccat propter inobedientiam. Ita in simili docet Turrecremata in can. Superueniente. 1. quæst. 1. conclus. 5. Et tunc nō recipiendo, nō refugimus Dei sacramenta, sed potiùs veneramur illa, vt docet D. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 2. ad 5. Nec qui contra Ecclesię obedientiam faciens accedit, recipit effectum, seu fructum sacramenti, vt idem D. Thomas scribit in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4. & 5. & 3. part. quæst. 83. art. 3. ad vltimum.

Duplici autem de causa interdictum etiam innocentes sine culpa comprehendit.

Primo quia ęquum est, vt filij etiam innocentes, & qui sine culpa sunt, tempore, quo eorum Princeps, & caput in statu peccati mortalis inobedientię, & contumacię erga Ecclesiam iacet, vestibus luctuosis, & mœstitię etiam in spiritualibus induantur, & vtantur, ac matri Ecclesiæ, quę tristitię, & afflictionis tunc signa ostendit, se conforment.

Secundo quia sic omnes magis excitantur contra eum, qui dedit causam interdicti, cum videant, se sine culpa propter eius crimen affligi, & cruciari; quod facit Ecclesia, tùm ob sui defensionem (vt supra dictum est) tùm vt inobediens etiam, atq; etiam cōfundatur, & ad obedientiam Ecclesię faciliùs reuertatur.

Causa

Causa verò dispositiua, quæ ad materialem reducitur, est peccatum, & non quodcunque, sed grauissimum quoddam, vt aliqua insignis inobedientia, & contumacia contra Ecclesiam, præsertim cum interdictum generale imponendum sit ab homine. Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 29. num. 4. Licèt Caietanus verb. Interdicti violatio, affirmet, pro peccato veniali posse inferri interdictum, sicut & suspensionem, & minorem excommunicationem, quæ est grauior pœna; quem sequitur Nauar. cap. 27. num. 164. & Henriquez lib. 13. cap. 50. num. 2. Quod intelligendum est de interdicto personæ priuatæ, quæ pro culpa veniali propria, grauissima tamen, potest interdici, vt scribit Suarez tom. 5. disput. 36. sect. 3. Notat autem idem Henriquez eodem loco num. 3. quòd interdictum, etiam iniustum, in vtroque foro innocentem quoque ligat, etsi excommunicatio iniusta in occulto pro foro conscientiæ innocentem non liget, secluso scandalo. Interim illud rursus commemorandum est, culpam Senatorum, & gubernantium Rempublicam, causam sufficientem esse ad interdictum generale fulminandum, vt rectè docet idem Suarez dicto tom. 5. eadem distinct. 36. sect. 3. §. Dico tertio. Vbi etiam doctè animaduertit, ad interdictum locale generale ferendum requiri grauiorem, & maiorem causam, quàm ad ferendam excommunicationem: quia est pœna, quæ redundat in totam communitatem,

tem, quam priuat quodammodo publico diuino cultu, quo solent homines maximè ad deuotionem excitari; & quia causa interdicti localis non potest inueniri in illa re, quæ immediatè afficitur tali interdicto (locus enim directè interdicitur, qui non est capax culpæ, quę est proxima causa interdicti) necesse est, vt talis causa sit in aliquo homine, ad quem locus ille, qui interdicitur, aliquo modo pertineat; vt in Principe, vel gubernatore, vel etiã in tota communitate, Republica, seu principaliori eius parte. Ita quoque affirmat Syluest. verb. Interdictũ. 3. q. 5. Nauar. cap. 27. num. 168. & alij.

CA-

CAPVT TERTIVM.

De iustitia, & necessaria obseruatione Pontificij interdicti.

IN hoc tertio capite demonstrandum est, sententiam interdicti à Summo Pontifice Paulo V. latam iustã, ac validam esse: & cōsequenter necessariò obseruandam, & venerandam; quod facilè assequemur, si omnes quatuor præfatas causas in ea sententia plenissimè reperiri indicabimus; tunc enim res iusta, & æqua est, cum ex omnibus suis causis integrè constituitur, vt Philosophi docent. Ac in primis de causa efficienti nulla controuersia esse potest inter Catholicos, cum à Summo Pontifice, in quo, tanquam in capite, plenariè residet plenitudo Ecclesiasticæ potestatis, quoad omnes fideles mundi, emanauerit; quod nec Pseudotheologi negant, vel negare queunt. Nec similiter de iusto, & pijssimo fine ab eodem Summo Pontifice in ea sententia intento vlla æqua dubitatio oriri potest: præsertim cum expressis verbis pietatem animi sui Pontifex ostendat, ibi: *Animo (quod absit) sustinuerit indurato.* Et iterum maturè, & non præcipitanter id actum esse dignoscitur ex illis verbis paulò ante prolatis,

Dux.

Dux, & Senatus per tres dies &c. Et id totum peractũ esse de consilio fratrũm Venerabilium Cardinalium significetur. Quoad formam verò nihil deest, quod substantiale sit; interdictum enim nunciatum, & declaratum, affixum, & publicatum fuit Romæ in acie Campi Floræ cum clausula, vt Ducem, & Senatum, aliosque afficiat, acsi personaliter directum, præsentatum, & intimatum esset. Interdictum enim locale generale virtute semper continet interdictum personale particulare, vt docet Suarez tom. 5. disp. 32. sectio. 2. §. Atque hinc à fortiori. & supponitur in literis Summi Pontificis ibi, *excommunicatis, & interdictis omninò exclusis*. Quoad materiam verò ob inobedientiã, contumaciam, & duritiem obstinati animi Ducis, & Senatus hanc interdicti pęnam inflictam fuisse, expressè dicitur.

Est igitur huiusmodi interdictum omninò iustum, ac proindè validum.

Notat Nauarrus in eodem cap. 27. num. 187. Interdictum regulariter in eisdem casibus nullum esse, in quibus excommunicatio nulla esse solet. Reuocat autem in eodem capite. num. 4. hos omnes casus ad quinque. Primum, quando excommunicans non est iudex saltem excommunicati. Secundum, quando fertur contra tenorem priuilegiorum. Tertium, quando fertur post legitimam appellationem. Quartũ, quando excommunicatio continet intolerabilem errorẽ, vt

vt cum fertur contra aliquem, eo quòd rectè aliquid fecerit. Quintum, quãdo excommunicãs eum excommunicat, qui participat cum excommunicato à se, nõ nominãdo eum expressè prçuia trina monitione cum interuallo aliquot dierum. Atqui ob nullum prædictorum casuum excogitari potest, Venetum hoc interdictum nullum, & inualidũ esse, vt de se patet. Est enim Papa Iudex supremus, & ordinarius omnium Christianorum: eius sententia lata est ęquissimè contra inobedientes, & contumaces recusantes iustis mãdatis Sedis Apostolicæ obtemperare, ob quam inobedientiam iustè, ac ritè sine vllo errore pęna interdicti per viam aggrauationis inobtemperantes, ac loca illorum affici posse, omnia iura canonica clamant, & ratio necessaria suadet; Crescente enim contumacia, crescere debet & pœna, vt dicitur in can. Honoratus. dist. 74. & ibi Turrecremata num. 2. Et pęna licitè augetur propter multitudinem, non solùm peccantium, sed etiam peccatorum: ex geminatione enim delictorum multiplicari pęnam docuit Baldus in l. Quicumque. de seru. fugitiu. & l. Si quis non dicam rapere. de Episc. & Cleric. & Turrecremata in can. Sed illud non otiosè. dist. 45. num. 5. Nec vna pœna excludit aliam, cap. Statuimus. 12. quæst. 2. & ibi Turrecrem. num. 1.

Prætetea nulla denunciato hoc interdicto subsequuta est appellatio, immò necesse potuit, cum Papa

sit supremus Iudex, nec habeat in terris Iudicem, ad quem possit fieri appellatio, & appellantes à Papa ad futurum Concilium nouam excommunicationem incurrunt in Bulla cęnę Domini ipsi Papæ reseruatam. Propter varia enim delicta potest quis multis excommunicationibus ligari, vt habetur 3. quæst. 4. can. Engeltrudam. Nec vlla priuilegia ostendi possunt à reis, quæ eximant illos ab hoc interdicto: præsensa enim quędam priuilegia ab eis iam pridem à Sede Apostolica obtenta, ad casum, & rem pręsentem non faciunt, nec illis, cum in terminis distinctis loquātur, suffragātur, vt inferiùs ostēdemus: pręterquā quod in sententia Pontificia adest clausula, *Non obstantibus priuilegijs &c.* Adde, quòd canonicę monitiones præcesserunt secundùm formā iuris cum interpositione dierum, ita vt nullus relinquatur locus hęsitandi de iustitia, & validitate Veneti interdicti. Quòcirca cum excommunicatio lata in Venetos iusta, & valida fuerit, vt in alia disputatione ostendimus; cumque hodiè Veneti non quod suum est, defendant, sed quod Dei, & Ecclesiæ est, rapiant, & vsurpent; iniuriamque summam Ecclesiæ inferant, dùm res immobiles, antequam ad ipsam perueniāt, varijs circulis in Dominio Dei, & Ecclesiæ remanere prohibent; hoc enim statuere, est Ecclesię ius lędere, & restringere, atque limitare, & velle, vt Deo dicanda, & offerenda ad Cęsarem relicto-

licto Deo possessore, vel habente ius ad rem ; & in re per regressum spectent ; ac proindè grauissimè peccent, & in peccato iniustitiæ, & inobedientiæ perseuerent: hoc est enim sortem in vestem Christi mittere; immò & illam scindere, sibi diuidere, ac profanis militibus applicare. Quid sanè grauius, quid petulantius effici potest? Meritò contemnentibus illam, & inobedientibus aggrauatur sententia contra eos lata, & iterum infligitur, ac denunciatur interdicti pęna; quod necessariò seruandum est non solùm à Clericis, sed ẽt à laicis in Venetorũ dominio cõmorãtibus, Summo Pontifice id iure, & rõnabiliter præcipiẽte.

Nec obstat, rem ad Ecclesiã transire, vel peruenire posse cũ onere suo; ita vt teneatur Ecclesia relicta ĩmobilia statuto tẽpore vẽdere; hoc enim licèt de onere ciuili, & iusto canonicę sãctiones ꝑmittãt, vt ĩ c. Secũdũ canonicã 23.q.8. & can. Si quis laicus 16.q.1. & cap. Sancitũ. extra de cens. vt ẽt dicit Turrecr. 17.q.4.can. Si quis in atrio. nu. 11. Nihilominus quãdo imponitur rei onus, ẽt antequã ad manus Ecclesiæ perueniat cõtra ius diuinũ, & in Ecclesiasticę libertatis detrimẽtũ, & in iniuriã Dei, & religionis, nequaquã sustinẽdũ est, vel subeundũ, sed excutiẽdũ, & amouẽdũ: est enim id iniqua cõditio diuinã maiestatẽ directè lędẽs. Nec onus iumẽtorũ Austri, nec gibbus camelorũ thesauros portãs ad populũ, qui eis prodesse nõ poterit, nec diuitię, sup humeros iumẽtorũ delatę Deo placuerũt, Isa.

Quinímmò nec gibbus in ministerio diuinorum locum habebat, Leuit. 21. Atque eadem ratione nec oblationes gibbosę. Vndè D. Gregor. lib. 8. registr. epist. 63. decernit, dotem Ecclesię in eius consecratione assignandam, liberam debere esse à tributis fiscalibus. Et lib. 5. epist. 51. affirmat, seruientes Ecclesijs nullis debere oneribus, nullisq; molestijs affligi. Et í cap. 1. de cés. & exaction. extra. ex Concil. apud Guarmaciam dicitur, quòd dos Ecclesiæ immunis debet esse ab omni tributo. Et in can. Secundum canonicā 23. q. 8. apud glos. verb. Māso. idem asseritur: Immò etiā prędium, siue solum, in quo Ecclesia ędificatur, & construitur, nō debet esse tributarium, sed liberum ab omni tributo, vt in eod. can. Secundum canonicam. & can. Tributum. 11. quęst. 1. & apud Turrecrem. in can. Si quis. de consecrat. dist. 1.

CA-

CAPVT QVARTVM.

An metus mortis, vel periculum vitę excuset ab inobseruatione Pontificij interdicti.



VIT à nobis hęc quęstio copiosissimè tractata in lib. 1. de fuga. disput. 1. quæst. 4. vbi inter cętera illud constanter docuimus, tanquam verissimum, legem Pontificiam obligare sub peccato mortali, etiam cum periculo, & discrimine vitę in tribus casibus.

Primò quando Pontifex in lege lata exprimit, & declarat, suam intentionem esse, & se rationabiliter velle propter bonum commune religionis Christianę talem legem obligare ad sui custodiam, & obseruationem, etiam comminato mortis periculo, & cum discrimine vitę corporalis: potest enim humana potestas, & eò magis Pontificia ita subditos de facto obligare, vt teneantur legi, etiam cum mortis periculo, obedire, quando accedit humanæ potestati necessitas boni communis ex huiusmodi legis obseruatione, nempè cum transgressio illius maximum detrimentum vniuersali bono Reipublicę Christianæ asserret; Cumq; homo non solùm quantum ad sua bona, sed etiam

quan-

quantum ad ſe ipſum , ſeu quantum ad ſuam perſonam, & vitam corporalem ſit pars Reipublicę; licitè poteſt Princeps, etiam temporalis, quando iudicat, legem, ſeu pręceptum aliquod obſeruandum neceſſariò eſſe pro vniuerſali bono, præcipere illud etiam cum detrimento partis, & perſonę particularis: neque in hoc eſt vlla Doctorum diſcrepantia. Lege Sotum in lib. 1. de iuſtitia, & iure. quæſt. 6. artic. 4. ibi. *Igitur primum omnium certum eſt, tanti referre poſſe Resp. id, quod pręcipitur, vt lex pro ſui obligatione ad mortē vſq; obliget.* Itē Med. 1. 2. q. 96. art. 4. dub. 2. concl. 1.

Secundò ex grauitate materię, quæ præcipitur, ſumendum eſt iudicium, an pręceptum, vel lex obliget, etiam cum diſcrimine vitę corporalis; quando enim periculū mortis, ſequitur ex actione, quę pręcipitur, & ei connexum eſt, & à legislatore veriſimiliter tale periculum pręuideri potuit; vtique leges omnes tam humanę, quàm pontificię obligant ad ſui obſeruationem cum periculo vitę. Eſt propoſitio certa Medinę eodem loco citato concluſ. 2. & Soto loco citato affirmat, ex operis, quod lege pręcipitur, grauitate cognoſcendum eſſe, an leges obligent cum periculo vitæ. Nec idem omninò eſt, legē obligare ſub peccato mortali, & cū periculo vitę. Multę enim leges obligāt primo, nō aūt ſecūdo modo, vt cōtra Caiet. euidēter demōſtrat idē Soto ibidē, & Medina vbi ſupra. Quando igitur materia eſt grauis, ſeu grauiſſima, & quę magnoperè

gnoperè ab Ecclesia ęstimatur, vtiq; lex Pontificia obligat etiam cum periculo vitæ.

Tertiò qñ in odiũ fidei, ac religionis Christianę, in contemptumq; clauiũ, & potestatis Pontificię, laici minantur quocunq; modo mortẽ corporalẽ obseruãtibus legẽ canonicã, & pontificiã, tenetur quis potius exponere se morti, illãq; pati, quã huiusmodi legẽ eo noïe violare: lex enim eo casu ẽt cũ certo periculo vitę obligat. Nec metus ẽt cadẽs in cõstantẽ virũ vllo pacto excusat: etenĩ propter ius diuinũ, quo tenetur hõ fidẽ suã cõfiteri, tũc ad mortẽ subeũdã obligatur. Est doctrina expressa Med. 1.2.q.96.art.4. in 3.concl.& Sot. loco citato lib. 1. de iust.& iur. vbi sic scribit: *Crediderim, leges Ecclesiasticas nunquam tanta cogendi vehementia obligare* (loquitur de periculo, & metu mortis) *nisi vel quando contemptus eiusdem legis interueniret, vel iniuria fidei*. Et iterum ibidem: *Sicuti dùm Sacerdos coram notorijs excommunicatis celebrat, plebs acciperet scandalum, suspicans leges Ecclesiasticas nullius esse valoris, aut illum esse manifestarium inobedientem, in tali casu potius deberet mori, quàm id facere*. Et paulò ante. *Si Tyrãnus mortẽ alicui minaretur, nisi ieiuniũ frãgeret, nulla porrò esset culpa illud frãgere, nisi dùm Tyrãnus ĩ cõtẽptũ legis ad id cogeret: tũc enĩ teneretur Christianus potiùs mori*. Idẽ clarè repetit Sot. in 4.dist.22.q.1.ar.1.in dub.de met.mor.

Ex his sequitur, hodiè violantes pontificium interdictum in dominio Veneto, cũ laici in cõtẽptũ legũ

Eccle-

quantum ad se ipsum, seu quantum ad suam personam, & vitam corporalem sit pars Reipublicę; licitè potest Princeps, etiam temporalis, quando iudicat, legem, seu preceptum aliquod obseruandum necessariò esse pro vniuersali bono, præcipere illud etiam cum detrimento partis, & personę particularis: neque in hoc est vlla Doctorum discrepantia. Lege Sotum in lib. 1. de iustitia, & iure. quæst. 6. artic. 4. ibi. *Igitur primum omnium certum est, tanti referre posse Rerp. id, quod precipitur, vt lex pro sui obligatione ad mortē vsq; obliget.* Itē Med. 1. 2. q. 96. art. 4. dub. 2. concl. 1.

Secundò ex grauitate materię, quæ præcipitur, sumendum est iudicium, an preceptum, vel lex obliget, etiam cum discrimine vitę corporalis; quando enim periculū mortis, sequitur ex actione, quę precipitur, & ei connexum est, & à legislatore verisimiliter tale periculum preuideri potuit; vtique leges omnes tàm humanę, quàm pontificię obligant ad sui obseruationem cum periculo vitę. Est propositio certa Medinę eodem loco citato conclus. 2. & Soto loco citato affirmat, ex operis, quod lege precipitur, grauitate cognoscendum esse, an leges obligent cum periculo vitæ. Nec idem omninò est, legē obligare sub peccato mortali, & cū periculo vitę. Multę enim leges obligāt primo, nō aūt secūdo modo, vt cōtra Caiet. euidēter demōstrat idē Soto ibidē, & Medina vbi supra. Quando igitur materia est grauis, seu grauissima, & quę magnoperè

gnoperè ab Ecclesia ęstimatur, vtiq; lex Pontificia obligat etiam cum periculo vitæ.

Tertiò qñ in odiũ fidei, ac religionis Christianę, in contemptumq; clauiũ, & potestatis Pontificię, laici minantur quocunq; modo mortẽ corporalẽ obseruãtibus legẽ canonicã, & pontificiã, tenetur quis potius exponere se morti, illãq; pati, quã huiusmodi legẽ eo noĩe violare: lex enim eo casu ẽt cũ certo periculo vitę obligat. Nec metus ẽt cadẽs in cõstantẽ virũ vllo pacto excusat: etenĩ propter ius diuinũ, quo tenetur hõ fidẽ suã cõfiteri, tũc ad mortẽ subeũdã obligatur. Est doctrina expressa Med. 1.2.q.96.art.4. in 3.concl.& Sot. loco citato lib. 1. de iust. & iur. vbi sic scribit: *Crediderim, leges Ecclesiasticas nunquam tanta cogendi vehementia obligare* (loquitur de periculo, & metu mortis) *nisi vel quando contemptus eiusdem legis interueniret, vel iniuria fidei.* Et iterum ibidem: *Sienim dùm Sacerdos coram notorijs excommunicatis celebrat, plebs acciperet scandalum, suspicans leges Ecclesiasticas nullius esse valoris, aut illum esse manifestarium inobedientem, in tali casu potius deberet mori, quàm id facere.* Et paulò ante. *Si Tyrãnus mortẽ alicui minaretur, nisi ieiuniũ frãgeret, nulla porrò esset culpa illud frãgere, nisi dùm Tyrãnus ĩ cõtẽptũ legis ad id cogeret: tũc enĩ teneretur Christianus potiùs mori.* Idẽ clarè repetit Sot. in 4. dist. 22. q. 1. ar. 1. in dub. de met. mor.

Ex his sequitur, hodiè violantes pontificium interdictum in dominio Veneto, cũ laici in cõtẽptũ legũ Eccle-

Ecclesiasticarum, & sacrorũ Canonũ, necnõ potestatis Ecclesiasticæ in Summo Pontifice existentis ad id cogunt, etiam comminato periculo mortis, peccare mortaliter, & reos esse æternę mortis, atque id euidẽter deducitur ex tribus capitibus proximè declaratis. Primo quia sic summus Legislator, qui interdictum posuit, rationabiliter viuę vocis oraculo, vt à personis fide dignis accepimus, declarauit, nimirum se velle, & intendere iustis de causis, tale interdictum prorsus, atque omninò ab omnibus in eo dominio obseruandum esse. Secundo quia materia, de qua agitur, est grauissima concernens defensionem iurium Ecclesiasticorum, & damnans summam contumaciam, & obstinationem Venetorum. Postremò quia reuera hoc tempore Veneti talem metum mortis clericis incutiunt in odium, & injuriam Summi Pontificis. Nec vlla excusatio inobtemperantibus fauet, cum Christus expressè dixerit, Luc. 9. *Qui erubuerit me, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum Angelorum.* Addit idem Soto in eodem loco 4. Ecclesiam posse ferre talem legem obligantem, etiam cum periculo mortis. Sicut etiam Princeps secularis potest ferre legem, etiam vsque ad sanguinem inclusiuè obligantem: hactenus tamen, Ecclesiam nullam talem legem edidisse affirmat, nisi vbi de casu protectionis fidei, & virtutum ageretur; & quando prohiberetur res, quia mala,

sa, cum intrinsecam malitiam habeat: talis lex, quę præciperet virtutem, & vitium prohiberet, vsque ad sanguinem omninò seruanda esset, etiam si vitium non esset, nisi peccatum veniale: debet enim homo potius morti se subijcere, quàm ex proposito peccatum veniale facere. Quando verò res est mala, quia prohibita, tunc ad explorandam mentem, & intẽtionem legislatoris, & legis, quantitas rei, quæ præcipitur, vel prohibetur, inspicienda est. Quàmuis enim lex obligans sub peccato mortali, immò obligans sub reatu veniali, ex genere suo id requirat, vt etiam non obstante metu mortis sit seruanda, quia pro nullo metu (vt dicebamus) peccandum est, nec venialiter; tamen ex bonitate ipsius legis, & prudentia legislatoris non semper cum tàm ingenti periculo obligat: sed hoc est perpendendum ex rei ipsius natura, vt videlicet consideretur, quanti obseruatio eius legis Reipublicę referat. Hæc ex Soto. Multum autem refert Reipublicæ Christianæ tùm ob aliorum Principum exemplum, tùm ob animarum iacturam, denique ob Principis inobedientiam, & obdurationem corrigendam, nouam interdicti pœnam adijcere, & adiectam custodiri. Contemptus autem legis verus ille esse intelligitur, & iudicandus est, quando principaliter quis mouetur ad legis transgressionem per se, vel per alium eius iussu faciendam, eò quòd legem, vel illius auctorem paruifaciat, iuxta S. Thom. 2. 2. q. 186.

& 189. art. 9. & ibi Caiet. Sic etiam Archidiaconus verum legis contemptum definit in can. Quicunq;. 81. dist. Et Dominicus. in can. Nullus. 55. dist. & Felynus, licèt confusè in cap. Cũ quidã. de iur. iuran. col. 3. & 4. & Nauar. in Sum. cap. 20. num. 20. & cap. 23. num. 42. Quod etiam asseruit gloss. in can. Metropolitan. 2. quęst. 7. Qui autem sine iusta causa, vel per se, vel per alium transgreditur legem, præsumitur per cõtemptum id facere, per ea, quæ dicit S. Thomas, & Caietanus locis citatis, & Canonistę in cap. Relatũ, ne Clerici, vel Monachi. Et licèt bene Soto dicat, iubente Christiano Principe, vt significet, se non esse excommunicatum, posse sacerdotem, cui præcipitur sub pęna sanguinis, vel capitis, vt celebret missam, eandem sine peccato mortali celebrare, cum non in odium fidei, vel legis Christianę, sed pro sua libidine, vel ob alias humanas rationes, vti ad ostendendũ populis se nullo excommunicationis vinculo teneri, vt dictum est, vel ob auaritiam, ludi delectationem, & alia, talem metum incuteret. Quod etiam asserit Suarez tom. 5. dist. 6. sect. 3. conclus. 3. & Palud. dist. 18. quæst. 6. art. 2. & ibi quæst. 4. Intelligendum id tamen est per se loquẽdo, secluso scandalo, & iniuria religionis, & similibus. At res apud Venetes hodiè non hoc titulo, neque hac ratione perficitur, quod tertio loco positum est; sed palàm in iniuriam, & contemptum Summi Pontificis, & supremę potestatis

Eccle-

Ecclesiasticæ id agitur: cum dicant, eius sententiam, quę iuridica, & iustissima est, nullam esse, idq; apertè declarant multę alię eorum actiones, quæ contemptũ clauium, & religionis omninò includunt. Qua enim potestate Ecclesiarum bona (eiectis Clericis, vel Religiosis) militibus applicant, in profanos vsus conuertunt, & laicis dispensanda committunt: quod maximũ crimé esse, D. Gregorius lib. 7. registr. indict. 2. epist. 65. ostendit. Qua item auctoritate laicis Ecclesiastica negotia cognoscenda, & tractanda concedunt contra decretum Telesphori Papę in epistola Fratribus, & dilectissimis Episcopis scripta, quæ habetur tom. 1. Epistolarum Decretalium Summorum Pontificum, & cõtra decretum Hormisdę, quod habetur epist. eius 11. in eod. tomo? Qua denique ratione in causa fidei iudices laicos auctoritate constituunt, cum id ad tribunal supremi Præsulis spectet, cui dictum est à Christo Luc. 22. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos?* Magna est hæc insipientia, magna temeritas ex despectione Pontificię potestatis emanans. Hęc profectò, & alia multa crimina non nisi in odium, & contemptum religionis fiunt. Hę diabolicę sunt actiones ex corde malo proficiscẽtes. Sciãt scriptũ esse, 1. Reg. 2. *Qui cõtẽnũt me, erũt ignobiles.* Caueãt, ne in profundũ cęcitatis spiritualis prolapsi, ẽt vsq; in infernũ descẽdãt, ĩ quo nulla ẽ redẽptio. Caueãt, ne dũ lapidẽ molarẽ, seu molã asinariã terrenarũ cupiditatũ circa collũ

inuolutam, ac ſuſpenſam habent, proijciantur in profundum maris, Matth. 18. Sed vtinam ſaperent, ac intelligerent, & nouiſſima prouiderent.

Notandum eſt autem ex Ariſtotele 3. Ethicorum. capit. 1. quòd ea, quæ fiunt ex metu, quædam ſunt laude digna, vt cum quis patitur membri abſciſſionem, ne prodat Rempublicam; quædam verò, licèt non ſint digna laude, ſunt tamen digna venia, & condonatione, vt cum quis mendacium profert ad vitam ſaluandam; alia verò ſunt digna omni vituperatione, vt cum quis metu mortis negat Deum, adde tu, articulos fidei, Summi Pontificis poteſtatem, & ſimilia. In quo tertio genere collocandi ſunt illi, qui decreta religionis Chriſtianæ metu mortis frangunt, & magis hominibus peruerſis, ac prauis, quàm Deo, & eius Eccleſiæ obedire volunt; nec vllo modo ſunt excuſandi à crimine peccati mortalis, & à cenſuris, dùm Pontificio interdicto ob metum mortis comminatæ obtemperare nolunt: cum propter fidem, & iuſtam defenſionem Pontificiæ ſententiæ non communicare cum illis omninò teneantur. Et ſic plerique accipiunt factum illud Hermigildi Regis filij Leouigili, qui potius mori voluit, quàm Euchariſtiam ab hæretico ſumere. canon. Superueniente. 1. quæſt. 1. & canon. vltimo. 24. quæſt. 1. ex Gregorio lib. 3. Dialogor. c. 31. Armill.

verb.

verb. Excommunicatio. num. 59. Innocent. c. Sacris. de his, quæ vi, metusuè causa fiunt. Adrian. quæst. 3. de clauibus, & quodl. 6. art. 2. ad 2. Syluester verb. Excommunicatio 5. §. 6. in fine. Antonin. 3. part. tit. 25. cap. 2. Caietan. 1. 2. quæst. 96. art. 4. D. Thom. in 4. distin. 18. quæstion. 2. artic. 4. Vbi concludit, ob contemptum Ecclesię non licere id facere, nempè violare censuras, & sententiam Summi Pastoris paruipendere. Idem Suarez tom. 5. in 3. part. Diui Thomæ disput. 6. sect. 3. §. Rursus. Turrecremata in citat. canon. Superueniente.

CAPVT QVINTVM.

Quas pœnas Clerici, vel laici interdicto non obtemperantes incurrant.



VPLICITER potest violari ĩterdictum, vel quando qui interdictus est, facit aliquid, quod sibi non est licitum facere; vel quãdo ille; qui non est interdictus, operatur aliquid, aliàs licitũ, ĩ loco ĩterdicto. Et quoad clericos, seu religiosos ordiné aliquem habentes, vltra grauissimum peccatum mortale, in quod incidunt, vt sequenti capite probabimus, dicimus, tres pęnas violando interdictũ eos incurrere: fiũt enim irregulares, ineligibiles, & impostulabiles. Ita Syluester verb. Interdictum 6. num. 2. Clericus enim generaliter, & specialiter interdictus nullibi potest exercere actum pertinentem ad aliquem ordinem, aut celebrationem diuinorum, quorum nomine veniunt missæ, horæ canonicę collegialiter recitatę, & exequię; ac benedictiones solennes, & omnia, de quibus rubricę in breuiario, vel missali habentur, exceptis illis, quę sunt dispositiones, vel sequelę ad aliquod sacramentum eo tempore licitum exhiberi, sicut Catechismus respectu sequentis ba-

baptiſmi,& commendatio animę, quę reſpectum habet ad priorem abſolutionem in pœnitentia miniſtratam. Qui autem perſonaliter non eſt interdictus, licèt talia exercere poſſit, non tamen in loco, uel tempore iuterdicti, niſi in caſibus expreſſis in iure. Qui autem contra fecerit, ſi eſt clericus, efficitur re ipſa irregularis. cap. Is qui. & cap. Is cui. de ſentent. excommunic. lib. 6. & cap. Cum ęterni. de ſent. & reiudicat. lib. 6. Eſt quoque ineligibilis, ita vt nec eligi poſſit, nec eligere, dicto c. Is qui. Et impoſtulabilis, vt habetur in cap. 5. de poſtulat. Prælat. Limitat tamen hoc ſecundum dictum Feder. vt refert Syluester, & benè, nimirùm quãdo is, qui nõ eſt interdictus, publicè, & palàm more ſolito celebrat in loco interdicto; quod etiam ceſſat, quando locus eſt quidem pollutus ſemine, vel ſanguine, non tamen propriè interdictus; quo caſu grauiter quidem peccaret, non tamen eſſet irregularis, vt habetur in dicto cap. Is qui. Si quis autem Clericus coram interdictis perſonis tàm à iure, quã ab hoïe, celebret, vel recipiat publicè illos ad diuina officia, ſacramẽta, vel ſepulturã, ẽt ſi id faciat in loco nõ interdicto, licèt irregularitatis pęnã nõ incurrat, ẽ tñ illi ingreſſus Eccleſię prohibitus, donec ſatiſfaciat ad eius arbitrium, cuius ſententiam contempſit. habetur in cap. Epiſcoporum. de priuileg. lib. 6. Quod ſi in Eccleſiã ſe ingerit, officia Eccleſiaſtica exercẽdo, efficitur irregularis, per c. Is cui de ſẽt.

ex-

excommun.lib.6. Addit Feder. idem censendum esse, quando laici peregrini, & aduenę admittuntur ad diuina in Ecclesia non interdicta, existente tamen in loco interdicto generaliter, vel specialiter. Præterea Clericus, si decedat interdictus, Ecclesiastica sepultura priuatur, vt dicitur in dicto cap. Is cui. Clericus tamen seruans interdictum generale, vel speciale ex gratia, non priuatur sacra sepultura, dummodo cum silentio, & sine pulsatione campanarum tumuletur. Ita habetur in cap. Quod in te. de pęnit. & remiss. Lege Suarez tom. 5. disp. 35. sect. 2. Item Clericus violans interdictum, siue personale, siue locale, est suspensus ab officio, beneficio, & iurisdictione, iuxta cap. Tanta. de exces. Pręlat. & ibi gloss. & Doct. communiter. Est etiam beneficijs priuandus, cap. Postulastis. de Cleric. excommun. ministran. Religiosus verò non seruans interdictum, quando scit Ecclesiam matricem seruare, vel seruare debere, est excommunicatus, per Clemen. Ex frequentibus. de sent. excommun. At verò si religiosus ordinibus tàm maioribus, quàm minoribus careat, nullam tunc incurrit irregularitatem, vt videre est in dicto cap. Is qui. cum loquatur de ea irregularitate, quę procedit ex sola celebratione diuinorum, vel executione ordinum: poterit tamen aliter puniri per reclusionem in arctius monasterium, quod etiam de moniali dixit Cald. à Syluestro relatus. Vterque tamen tàm religiosus,
quàm

quàm monialis est inelegibilis actiuè, & passiuè, vt ijdem præfati Doctores affirmant, vocemque tùm actiuam, tùm passiuam amittunt.

5 Præterea Clerici non solùm (vt dictum est) violantes interdictum, sed etiam inducentes alios ad violandum suspensi sunt, vt Syluester loc. cit. Et si est Prælatus, iure instituendi, destituendi, & collatione beneficiorum est priuatus, & eius sententiæ in quoscunque prolatæ irritæ sunt, & inanes. Sic Innocent. & Hostien. docent, vt refert idem Syluester.

1 An autem interdicti sint vitandi, pulchra quæstio est. Innocent. Hostien. & Ber. dicunt, omnes nominatim, vel tanquam nominatim interdictos vitandos esse in actibus à iure prohibitis, non autem illos, qui generaliter interdicti sunt, aut participes, quousq; per Iudicem specificentur; nisi fortè adeò notoria esset eorum participatio, vt inficiationi non esset locus, arg. tex. in cap. Tuanos. de cohab. cleric. & mulier. Quod omninò hodiè seruandum est, ob decretum Cõcilij Constantiensis de moderatione excommunicationis, & interdicti. Nec in diuinis, vel tempore celebrationis diuinorum vitandi sunt, etiam publicè illis præsentes, nisi constet de sententia, vel publica denunciatione. Quòd si sacerdos scienter admittat ad diuina illum, qui est interdictus, etiam publicè, alij nõ tenentur exire, iuxta doctrinam Syluestri; ipse tamen sacerdos peccat, & incurrit pœnam decretam in cap.

Episcoporum. de priuil. lib. 6. suspensionem nempè ab ingressu Ecclesię.

Verùm quam pęnam laici interdictum uiolantes incurrant, explicat Innocentius, arbitrariã nempè, vltra graue peccatum, vt habetur in Clem. Grauis. de sent. excom. Archid. addit, peccare mortaliter, cum faciant contra Ecclesię mandatum. c. Si quis. dist. 81. Syluester uerò nec id locũ habere censet, nisi ex contemptu fiat. Certum autem est, in quatuor casibus expressis in dicta Clem. Grauis. de sent. excom. huiusmodi laicos interdictum frangentes pœnam excõmunicationis sedi Apostolicę reseruatę incurrere, videlicet eos, qui cogunt directè, uel indirectè clericos ad diuina quomodolibet celebranda in locis interdicto suppositis: Item qui alios interdictos, uel excommunicatos euocant ad diuina audienda; Quique prohibent excommunicatos publicè, aut interdictos ab Ecclesijs exire, dum missę in illis celebrantur, admonitos prius à celebrantibus, vt exeant. Nec non qui publicè excommunicatus, vel interdictus, non obstante monitione à celebrantibus nominatim facta, vt exeat, remanet. Additur quoque alia pœna quoad Ecclesiasticam sepulturam in Clemen. 1. de sepulturis. vbi excommunicatio ipso iure fertur in eos, qui in loco interdicto aliquem sepeliunt, cuius absolutio omninò ad Episcopum Dioecesanum reseruatur. Quæ excommunicatio comprehendit

prehendit non solùm illos, qui actualiter cadauer immittunt in sepulchrum, vt Caietanus, & Nauarrus censent; sed etiam, qui sua auctoritate, & imperio excommunicatum in Ecclesia, vel cœmeterio sepelire faciunt, vt optimè Suarez disputation. 8. section. 4. dicit. Quàmuis cantores, & funus comitantes non comprehendantur, cum non sint cooperatores, & auctores delicti.

Ad extremum huius capitis illud dubium soluendum est, An exclusis priuilegijs ex sola consuetudine possit quis impunè interdictum violare. Cui rei Syluester ex doctrina Innocentij, & Hostiensis benè respondet negatiuè, vt est textus in capit. Cum inter. de consuetud. Tunc enim neruus Ecclesiasticæ disciplinæ disrumperetur, & omnis talis consuetudo, vel potius abusus, si quis apud aliquos esset, ab Innocentio III. in eo capitulo irritatur. Vndè (vt ibidem glossa ait) nec præscriptio, nec consuetudo aliquid operatur contra interdictum, ne integrè, & ex toto obseruetur cum omnibus suis circumstantijs, vt in iure exprimitur.

Verùm hoc in loco illa quæstio dissimulanda non est, Num Clerici coniugati, si contingat illos violare interdictum, eas pœnas iuris incurrant, quas alij Clerici non coniugati.


Et dicendum, Clericos coniugatos, si tõſuram, & habitum clericalem deferant, & ex præſcripto Epiſcopi ad alicuius Eccleſiæ ſeruitium, vel miniſterium ab eo ſint deputati, atque eidem Eccleſiæ actu ſeruiant, vel miniſtrent, eaſdem pęnas incurrere in violatione interdicti, quas non coniugati incurrunt; nec enim hi excipiendi ſunt ab huiuſmodi pęnis, ſi omnes conditiones habeant, à ſacro Conc. Trident. requiſitas in ſeſſ. 23. cap. 6. de reformat. Quicquid dicat Couar. in c. Alma. par. 2. §. 4. nu. 5. & Tolet. in Sum. lib. 1. cap. 20. Reputantur enim hi propter officium, & miniſterium cum tali ſtatu, & ordine coniunctum, tanquam Clerici, in quorum numero verè ſunt; vt optimè ſentit Suarez, diſp. 34. ſect. 4.

Eſt iterum quæſtio; An is, qui interdicto affectus eſt, poſſit teſtari? Armilla verb. Interdictum. §. 1. dicit, quod durante ſententia interdicti nemo poteſt teſtari, per cap. Apoſtolicæ. de except. Sed re vera neque in eo textu, neq; in eius gloſſis de in interdicto teſtantibus vllo modo agitur. Quocirca in hoc caſu idem iudicandum, ſentiendum, & dicendum eſt, quod dicitur de excommunicato condente teſtamentum. De qua re agit Sylueſter verbo Teſtamentum 1. quæſt. 3. §. 9. Vbi ex ſententia Ioannis Andreæ, & Innocentij tenet, poſſe excommunicatum teſtari, & dicit, eſſe hodiè communem opinionẽ, nec æquiparari deportato. Quẽ ſequitur Suarez, diſp. 15. ſecti-

19. Vbi dicit, quòd licèt peccet excommunicatus testando, violando excommunicationem; tamen testamentum adhibitis cęteris necessariò requisitis tenet, & validū est. Couar. in rubr. de testam. par. 2. nu. 18. Nulla enim reperitur lex irritans voluntatem testatoris, nec sufficit generalis prohibitio communicationis, qua excommunicati ligantur. Atque huius rei illud euidens signum est, quòd quando lex voluit hunc effectum non testandi adiungere in pęnam alicuius delicti excommunicato, id expressit, vt de hæreticis in cap. Excommunicamus. §. Credentes. de hæreticis. Et de percussoribus Cardinaliū in c. Fęlicis. de pęnis in 6. Et de vsurarijs nō prius restituētibus, vel sufficienter cautionē dantibus in c. vlt. de vsur. in 6. Plura alia dubia circa hunc punctum excitari possent, sed apud Suarez loco citato legantur.

CAPVT SEXTVM.

Quid liceat, vel non liceat Episcopis, Clericis, Religiosis, Laicis, atque etiam Monialibus agere tempore interdicti.



PISCOPIS onus, & obligatio incumbit obseruandi interdictum à Papa promulgatum; nec illud eis licet per se, vel per alios violare, nisi in casibus à iure permissis: aliàs suspenduntur ab officio, ac beneficio, & omni iurisdictione priuantur, vt scriptum est in cap. vlt. de excess. Prælat. Incurrunt etiam irregularitatem, si celebrent, vel diuina officia, & pontificales actiones in loco à Papa, vel à iure interdicto exerceant. Episcopus enim est inferior, & subditus, nec ab obligatione iuris communis exemptus, vt Doctor. in cap. Is cui. de sentent. excommunicat. lib. 6. Quod tamen intelligendum est, quando in sententia iuris de Episcopis expressa fit mentio. Quod si in interdicto generali non exprimitur Episcopus, nec eius superior; vtique huiusmodi interdicto non ligantur. Quod intelligendum est etiã de interdicto ab homine lato, vt testatur Nauar.

cap. 27.

cap. 27. num. 165. ʃ. 3. De qua re eſt etiam tex. expreſ. in cap. Quia periculoſum. de ſentent. excommunicat. in 6. & ibi Archidiac. Dominicus. Ioann. And. Franciſc. & alij. Quod etiam procedit in censura ſuſpenſionis, non autem in excommunicatione generaliter lata, vt ibidem gloſſa, & Nauar. cap. 27. numer. 165. & Henriquez lib. 13. cap. 34. numer. 2. Vide Suarez diſput. 33. ſect. 3. ʃ. Sed quæras primo.

In interdicto autem generali ab ipſomet Epiſcopo impoſito; ſiue interdicatur ciuitas, prouincia, regnum, ſiue vniuerſitas; ab ipſomet Epiſcopo, ſeu ab alio, qui impoſuit, niſi ſit Papa, ſeruandum eſt. Syluest. verb. Interdictum 6. ʃ. 1. Henriquez lib. 13. cap. 50. num. 1. Poteſt autem ſecum diſpenſare ſecundùm aliquorum doctrinam, ſeruata tamen moderatione. capit. Alma Mater. Violans verò Epiſcopus ſuum interdictum, incurrit pęnas iuris, & irregularitatem. Syluest. & Henriquez locis citatis.

Ex priuilegio tamen iuris eximitur Epiſcopus à generali interdicto loci, cum deceat illum quotidiè audire, aut dicere miſſam; vnde licitè poteſt celebrare, vel celebrari ſibi facere, & audire diuina: quàmuis ſit interdicta ciuitas, vel terra, regnum &c. vt eſt tex. in cap. fin. de Priuil. in 6. & ita docet Couar. c. Alma. 2. par. ʃ. 4. cum Ioan. Andr. c. Dilectis, de appellat. Seruato tamen moderamine, c. Alma Mater.

Nomen

Nomen autem Episcopi etiam ad Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas extenditur, qui potestate ordinis non excedunt Episcopum. gloss. dicto cap. Quia periculosum, vers. de Episc. Hoc autem priuilegium intelligendum est, nisi Episcopus causam dederit interdicto: tunc enim, cum & ipse Episcopus personaliter sit interdictus, hoc priuilegio gaudere nō potest, vt notat Henriquez lib. 13. cap. 43. Nauar. cap. 27. num. 178. & 180. per cap. Licet. de priuileg. in 6. Angel. verb. Interdicto 2. §. 8. & alij.

Episcopus cum ponit interdictum, potest effectus ipsius diuidere, & limitare, ita vt intendat prohibere solam sepulturam v. g. vel ingressum Ecclesiæ tantū, vel vsum communionis dumtaxat, vel diuinorum officiorum præcise, non autem aliarum rerum sacrarū. Sicut etiam potest diuidere effectus suspensionis, ita vt de facto suspendat ab hac solùm re, & non ab alia: attamen in excommunicatione non potest Episcopus limitare, seu diuidere effectus eius; sed hoc ad solum Papam spectat, qui solus potest diuidere, & dispensare in excommunicationis effectibus. Ita bene Henriquez lib. 13. cap. 2. nu. 3. Et est ratio, quia omnes excommunicationis effectus sunt iure communi inuicē connexi, super quos solus Papa, non Episcopi dispensant; aliarum autem censurarum effectus sunt eodem iure communi diuisibiles; at proindè quo modo mens ferentis illas expressa sit, attendi debet; quod si absolutè

lutè feratur interdictum absque vlla effectuum limitatione, omnes effectus in iure contentos comprehendere, intelligendum est.

Præterea licet Episcopo tempore interdicti conficere chrisma, quod est necessarium pro confirmatione, & ad ritũ baptismi, in feria quinta Maioris hebdomadę. cap. Quoniam. de sentent. excommunicat. in 6. In loco etiã specialiter interdicto. Syluester verb. Confirmatio 5. vers. 4. Henriquez lib. 13. cap. 45. numer. 1. Notat Angel. §. 28. Geminianus item, Archidiac. & communiter Doct. id licere submissè cum moderamine. cap. Alma Mater. Idem affirmat Syluest. §. 7. vers. 2. Antonin. cap. 3. Couar. 2. par. §. 2. num. 7. & alij.

Licet quoque benedicere, & consecrare oleum baptizandorum propter eandem rationem. Nauar. cap. 27. num. 178. Quæ omnia intelligenda sunt, si Episcopus non sit interdictus specialiter, vt probat Suarez disput. 33. sect. 1. Si enim interdicto tantùm generali, cui causam non dederit, affectus esset; vtique posset.

An aũt liceat Episcopo ordines tàm maiores, quã minores conferre, ac etiam primam tonsuram tempore interdicti. Respondendum est, non licere tempore interdicti, neque maiores, neque minores ordines alicui clerico recipere. Ita Parnomitanus in capit. Non est vobis, de sponsalibus. Paludan. dist. 18.

 quæst. 8.

quæſtion. 8. numer. 29. Couar.capit. Alma. part. 2. §.3.num.4.Suarez diſp.34.ſect.1.num.45.& omnes Summiſtæ. Quicquid dicat Innocentius in dicto cap. Non eſt vobis.qui exiſtimat,eum, qui habet primam tonſuram, vel aliquem ordinem,poſſe ad alios ſuperiores, non obſtante interdicto,promoueri. Quem opportunè Suarez eodem loco refutat.

Nec Epiſcopo,ſeu Abbati licet eo tempore conferre ordines,ſeu maiores, ſeu minores,quibuſcunq; etiam regularibus;cum in cap. Alma Mater. id Epiſcopis non concedatur, & iure antiquo permiſſum non fuerit. Ita Nauar.cap.27.num.179 cum gloſſ.in dicto cap. Non eſt vobis. Angelus §.38. Syluester verb. Interdictum 5.§.7. in fin. & §. 5. verſ. 3. Tabiena §. 9. Armilla §. 46. Soto. Palludan. quæſt. 8. artic. 2. concluſ.6.Couar.§. 3. num.4.illat.4. Innocen. Anc. Chalder. Quicquid dicat Villadieg. c.5.nu.3. qui tenet,poſſe Epiſcopos ordinare laicos in loco ĩterdicto, cum Epiſcopus ſub generali interdicto non comprehendatur. Verùm alia ſententia eſt communior,& ſequenda: poſſet tamen Epiſcopus, qui ordines conferre vellet, quando ipſe generale interdictum impoſuerit, ſuſpendere illud, quantùm ad illum actum; aliàs nec in feſtis, quibus iure ſuſpenditur, licet, vt docet Nauar. cap. 27.num.184. Couar.§.5. num.5.& 6. Syluester, Angelus,& alij. Tempore aũt Pontificij interdicti abſolutè non poſſet.

Atque etiam tempore interdicti non licebit Episcopo primam tonsuram dare, neque aquam solenniter benedicere, neque solennem benedictionem populo impartiri, nec palmas, vel cineres solenniter benedicere, similesque actus sacros publicos exercere; cum ij omnes ad rationem diuinorum officiorum, quę tempore interdicti prohibita sunt, reducantur. Ita Syluest. Angel. Nauar. & alij, quos sequitur, & citat Suarez disp. 34. sect. 3.

Animaduertendum est hoc in loco ex sentẽtia multorum Summistarum, non esse improbabile, si magna necessitas ministrorum vrgeret, ut tempore pestis; nec alius locus esset, præter locum interdictum, fas esse Episcopo ministros initiare, & ordinare. Ita etiã Syluester §. 7. in fin. Tabiena §. 9. Villadieg. de irregularit. tit. de interdict. Angel. §. 8. Couar. §. 2. nu. 8. Sicut etiam ob necessitatem licet consecrare chrisma, vt dictum est; & tẽpore interdicti multas celebrare missas iuxta indigentiam infirmorum, qui necessitate vrgente communicandi essent. Sed si alius locus interdicto non suppositus adiri commodè posset, non esset tàm tutum in loco interdicto ordinationes tenere, vt aiũt Syluest. Tab. Armil. Couar. & Palu. q. 8. ar. 5. cõc. 6.

Præterea licet Episcopo in loco interdicto confirmare, seu sacramentum confirmationis ministrare, non solùm infantibus, sed etiam adultis, atque id publicè cum solennitate consueta, in loco

etiam ſpecialiter interdicto, quando alius commodè haberi non poſſet. Ita habetur in cap. Reſponſo.de ſentent.excommunicat.& cap. Quoniam.eod. tit. in 6. Ita quoque affirmat Syluester. verb. Interdictum 5.§.7.ver.2.Angel.§.29.&Nauar.num.178.omneſque ſupra citati,& Suarez.diſp.33.ſect.1. Et ratio illa aſſignari poteſt, quoniam confirmatio eſt veluti complementum quoddam ſtatus Chriſtiani hominis, cuius profeſſio eſt baptiſmus; & etiam propter mortis periculum, præcipuè quoad infantes,id conceſſum fuit.

Non licet Epiſcopo conferre ſacramentum confirmationis ijs, qui interdicto generali perſonali ita affecti ſunt, vt cauſam interdicto dederint; cęteri poſſunt, hi excluduntur, niſi prius, vel ſatisfecerint, vel ſaltem iuratoriam cautionem dederint, ſi aliam præſtare nequeant. Si enim ad pęnitentiæ ſacramentum non ſunt admittendi, qui cauſam interdicto generali loci dederunt; niſi ſatisfecerint propter cenſuram, vel indiſpoſitionem eorum (de baptizatis agitur) vt dicitur in cap. Alma Mater. de ſentent.excommunicat. in 6. A fortiori ſequitur,ad nullum aliud ſacramẽtum eos admittendos eſſe, vt benè infert Suarez diſp. 33.ſect.1.§. de confirmatione.qui etiam vlterius infert, eos,qui ligantur interdicto ſpeciali, & perſonali,non poſſe recipere confirmationem, neque ad ipsã admitti, quia nunquam aliquis ſpecialiter interdicitur,

tur, nisi propter propriam culpam, vel contumaciam, quam prius purgare debet.

Episcopus interdictus ab actu sacerdotali non potest exercere pontificalia, quoniam hæc sine sacerdotalibus actibus executioni mandari non possunt. Non è contra: Interdictus enim à pontificalibus poterit exercere actus sacerdotales: & qui est interdictus ab actu diaconali, poterit canere epistolam. Arg. tex. in cap. Significauit. de corp. vitia.

Episcopo non licet ponere interdictum generale personale pro culpa vnius priuati hominis, nisi ex speciali commissione Papæ, qui raro, & cum difficultate id alijs committit. Arg. tex. in Extrauag. Prouidę. de sent. excom.

Episcopus non potest ponere sine licentia Papę interdictum generale loci ob non solutionem debiti pecuniarij priuati. Extrauag. Prouidę. de sentent. excommunicat. Nauar. cap. 27. num. 168. Armill. §. 5. num. 27. Posset tamen ferre interdictum particulare alicui Ecclesiæ, vt dicit Caldar. in tract. de Eccles. interd. memb. 1. cap. 4. & Nauar ibi.

Licet quoque Episcopis, vel Pręlatis interdicti tẽpore exercere iurisdictionem circa spiritualia: vis enim interdicti extenditur tantùm ad exercitium ordinis. Syluest. verb. Interdictum 5. §. 3. num. 5. in fin.

Item licet Episcopo dare benedictionem priuatam in itinere, etiam publicè. Nauar. cap. 27. num. 176.

cum

cum hæc non sit actus ordinis, sed iurisdictionis.

Multa quoque sunt in iure interdicta lata contra Episcopos, & Prælatos in pęnam, si hoc, vel illud faciant, & præsertim ab ingressu Ecclesię, quæ quoniã in iure reperiuntur, & in constitutionibus Summorũ Pōtificũ, nō est necesse, vt ea hoc in loco adducamus.

Clericis tempore interdicti ex concessione Extrauag. Alma Mater. nisi aliquid speciali iure, ac constitutione à Summo Pontifice decernatur, multa licent. In loco enim generaliter interdicto omnia diuina officia celebrari possunt ianuis clausis; & etiam extra Ecclesiam dici potest officium exclusis interdictis. Et in Ecclesia quoque, nisi sit specialiter interdicta (tunc enim ius antiquum seruandum est, vt benè affirmat Toletus in Sum. lib. 1. cap. 20.) aperta ianua à binis, vel ternis sine animo officiandi modo interdicti non audiant, nisi fortè per modum transeuntis; possunt verò admitti religiosi, & clerici, etiam externi, vt in cap. Alma Mater. Ita Suarez disput. 34. sect. 3. Syluest. verb. Interdictum 5. quęst. 5. Nauar. capit. 27. numer. 175.

Interdictum autem à Sanctiss. Paulo V. latum in Venetos prohibet omnem solennem, vel non solennẽ missarum celebrationem, tàm publicam, quàm priuatam, atque omnium diuinorum officiorum in toto Venetorum dominio, exceptis casibus à iure permissis; & tunc concedit, celebrari missas, & diui-

na officia in Ecclesijs tantùm, & non alibi; & in illis etiam ianuis clausis, non pulsatis campanis, & exclusis non solùm excommunicatis, sed etiam interdictis. Atque hæc est seuerior forma, quàm illa Bonifacij VIII. propter temporum malitiam excrescentem.

Licet quoque tempore interdicti etiam specialis preter baptismum, & confirmationem, vt dictum est, sacramentum pœnitentiæ ministrare his, qui non sũt in culpa, vel non dederunt causam interdicto; atque etiam illis, qui ei dederunt causam, si prius satisfecerint eo modo, & forma, quæ prescribitur in cap. Alma Mater. & nisi fuerit hæc absolutio aliàs reseruata Papæ, vt est hæc Venetorum, & exceptis excommunicatis, qui, preterquã in mortis articulo, nisi prius à Papa absoluantur, ad pœnitentiæ sacramentum admittendi nõ sunt. Ita habetur in cap. Alma Mater. Ab excommunicatione tamen, quæ non est reseruata, alio impedimento non interueniente præter interdictum, priuatim, & absque solennitate posset quis absolui tempore interdicti, vt censet Suarez disputation. 33. section. 1. §. Censeo igitur.

Licet præterea tempore interdicti etiam specialis, ministrare communionis viaticum, & illud cum comitatu portare per Ciuitatem cum lumine, & campana, vt optimè tradit Suarez eodem loco §.

Solùm

Solùm dubitari poteſt. Et id ad venerandum, & comitandum ſanctiſſimum Sacramentum; Ad quem actũ, excommunicatis nominatim tãtùm exceptis, omnes admitti poſſunt, cùm id in iure nõ ſit prohibitum, dũmodo pſalmi non recitentur, vt notat Palaci. diſt. 18. quæſt. 3.

Licet quoque communionem clericorum, & religioſorum facere, cum hęc propriè nomine diuini officij non veniat appellanda, & laicis illi communioni aſſiſtere, dummodo fiat extra miſſam, & diuina officia, vt notat Suarez diſput. 34. ſect. 3. in fin.

Licet etiam matrimonium ſine tamen benedictione celebrare: nuptiales enim benedictiones, cum inter diuina officia computentur, tempore interdicti prohibitæ ſunt. Quicquid dicat Couar. in dicto cap. Alma. par. 2. §. 2. num. 7. contra communem ſententiam Doctorum. Sponſalia item de futuro licitè, & validè fiunt tempore interdicti, ſiue in loco interdicto, ſiue inter perſonas interdictas; cum non ſint ſacramentum, neque aliquid ſacrum, aut diuinum officiũ complectantur. Ita Syluest. uerb. Interdictum 5. num. 9. Panor. cap. Non eſt. de ſponſalib. & eſt cõmunis Doctorum ſententia. Quicquid dicat in hoc Suarez loco citat. §. Difficultas autem. Sunt enim illa, humanus contractus tantùm.

Non licet extremam vnctionem miniſtrare vlli perſonæ tempore interdicti, exceptis priuilegiatis, nec

nec etiam clericis, vel religiosis, contra Palud. dist. 18. quæst. 8. num. 28. Est textus de hac prohibitione expressus in cap. Quod in te. de pęnit. & remiss. Neq; etiam in festiuitatibus, exceptis, & narratis in cap. Alma. cum nihil in hac parte innouatum in eo fuerit, vt rectè Suarez loco citato.

Licet quoque eo tempore facere benedictionem mēsę, fructuū, habitus, ouorum, nauis, vexilli, & aliorum huius generis; quę benedictiones non sunt diuina officia, nec sunt actus ordinis. Syluester verb. Interdictum 5. quæstion. 4. & Suarez disputation. 37. sectio. 9.

Licet quoq; tempore interdicti tàm localis, quàm personalis, publicè, etiam flexis genibus, dicere orationem, quam vocant, Aue Maria, manè, meridiè, & vesperi, vt Nauar. capit. 27. numer. 176. Itinerarium quoque licet in Ecclesia publicè dicere, cum illud nō sit propriè pars diuini officij. Fas est quoque mulieri post partum benedicere ad ingressum Ecclesiæ; dūmodò sine solennitate, & sine psalmis, & orationibus id fiat, etiam facta solùm per se ipsam generali confessione, vt docet Syluester loco citato, & Nauar. vbi supra. Adoratio quoque Crucis, quæ fieri solet in feria sexta maioris hebdomadę, dummodo fiat sine publicis pręcibus, & cęremonijs, quibus eo die Ecclesia vtitur, non est prohibita, vt vult Nauar. cap. 27. num. 176. & Suarez disput. 34. sect. 3. Litaniæ tamen non

ſunt dicendę, quoniam ſunt pars officij diuini, cui ſolent ſępè annecti, ſeu coniungi, vt in ſeptem pſalmis tempore quadrageſimę, & aduentus: atque etiam in ordinatione maiorum ordinum. Ita Suarez ibidem; quàmuis Syluester confratribus in eorum ſcholis more laicali recitantibus illas, id permittat. Nomine quoq; dictorum officiorum intelliguntur Litaniæ, quæ publicè cum ſonu campanę præcedente ad laudē B. Virginis Laureti cantantur; cum per modum diuini officij aſſiſtente ſacerdote ſtola induto dicantur. Pōt quis quoq;, dum ingreditur Eccleſiam, ſumere aquā benedictam, non tamen dùm datur ſolenniter, dicendo, *Aſperges me Domine &c.* Nauar. capit. 27. numer. 177. Is qui habet beneficium, vel eſt ſacris initiatus, tenetur dicere diuinum officium priuatim, ac ſolus ſine, *Dominus vobiſcum*; ſed cum, *Domine exaudi orationē meam.* Nauar. cap. 27. num. 175.

Non licet interdictis publicę proceſſioni intereſſe, & cum alijs in illa procedere, etiam vltimo loco, nec orationi quadraginta horarum, quando publicè, & ſolenniter habetur; cum ibi multi pſalmi, & laudes per modū diuini officij decantētur: quāuis ei, qui interdictus eſt, fas ſit intra, vel extra Eccleſiam adorare ſacramentum. Ita Suarez in ſimili de excommunicato affirmat diſp. 12. ſectio. 2. in princ. Ita quoque Palac. diſtinct. 18. quęſt. 3. Palud. q. 6. Soto diſt. 22. quęſt. 1. art. 4. Sylu. excommunicatio 5. Caiet. excom. in fin.

Tempore

Tempore autem interdicti localis generalis non licet facere processiones generales per Ciuitatem, nec licet facere Synodũ;cũ illis diuina officia ĩmisceãtur.

Religiosi debent seruare interdictum, quod seruat Ecclesia Cathedralis, vel omnes Parochiales, siue seruare deberent, etiam si actu non seruent; quod dicitur ob casum, in quo Principis dolo, fraude, vel malitia impeditum fuerit, publicari, & affigi Cathedrali, vel Metropoli Pontificium, siue Episcopale interdictum: non enim excessus clericorum, vel etiam laicorum dare debet religiosis materiam delinquendi, vt inquit gloss. in Clem. 1. de sent. excom. In loco autem, vbi non existunt, nisi religiosi, & nulla alia Ecclesia est, nisi illorum; tunc sine dubio tenentur religiosi ad nutum Episcopi, & multò magis Papę seruare interdictum, per decretum Concilij Tridentini sess. 25. cap. 12. de regularibus. & ob præceptum Papæ.

Religiosi, atq; etiam Clerici, necnon cęteri ad audienda diuina officia priuilegiati, & seruantes interdictum, possunt sepeliri in Ecclesia, etiam specialiter interdicta, si alia desit, aut ea sit propria. cap. Quod in te. de pęnit. & remiss. Sine tamen solennitate. ibidẽ. & apud Nauar. cap. 27. nu. 176.

Religiosi, immò & Clerici eo tempore possunt ad diuina admittere familiares, & domesticos, vt habetur in cap. 2. de priuileg. lib. 6. dummodò non sint ad hunc effectum audiendi sacra fraudulenter recepti.

Nauar. cap. 27. num. 180. Quod si ratione Collegij datum sit priuilegium, non valet, nisi collegis. cap. Licet. de priuil. in 6. Præterea qui potest celebrare, potest sibi quoque adiungere ministrum, quàmuis non priuilegiatum, tàm ante tempus promulgati interdicti receptum domi, quàm post. Nauar. cap. 27. num. 181. Nonnullas alias pœnas excommunicationis cõtra quosdam religiosos violantes interdictum locale generale habes in Clemen. 2. & 3. de sentent. excommunicat.

An autem tempore interdicti liceat ijs, qui suppositi sunt interdicto, adesse concioni, & ad Ecclesiam accedere ad illam audiendam? Pulchra quæstio est. Et certissimè dicimus, quòd quilibet in terra interdicta, nisi sit ipse interdictus, vel excommunicatus, vel ab alijs necessarijs conditionibus impeditus, potest prædicare verbum Dei, vel concionare, etiam in Ecclesia specialiter interdicta, ipsis interdictis, immò etiam excommunicatis præsentibus. Ita est tex. in cap. Responso. de sentent. excommunicat. Extra. Prędicatio enim verbi Dei non venit nomine diuinorum officiorum, si hæc arcto vocabulo accipiantur, vt ibidem dicitur. Ita quoque Nauar. cap. 27. numer. 176. Syluest. verb. Interdictum 5. quęst. 4. Caldar. tract. de interdicto. memb. 6. quæst. 4. Couar. in cap. Alma Mater. part. 2. §. 2. & 3. Et licèt textus in dicto cap. Responso. semel in hebdomada, vel in mense concio-

nem

nem interdictis cōcedat; tamen ratio, quam assignat, cogit nos dicere, vt sępius concionem audire possint; & cū concio ad correctionem illos inducat, cur crebro illis deneganda est? Tabiena verb. Interdictum 6. §. 4. dicit, quotidiè licere interdictis prędicare, quo etiā tempore campana pulsari potest, vt moris est, ad concionem; est enim illa pulsatio prę ambulum ad actum à iure permissum. Potest quoque in fine concionis fieri generalis confessio viris interdictis præsentibus, vt Syluester loco citato affirmat. Quod dictum puto limitandum esse, nec locum habere, quando sermo, vel concio inter diuina officia, vel missarū solennia, siue post Euangelium, siue post offertorium habetur: tunc enim concio illa est quid, non solùm accessorium ad missam, sed etiam aliquo modo connexum cum ea: pręsertim cum tempore diuinorum officiorum, quorū nomine potissimùm missa cēsetur, illa habeatur; quo tempore, hoc est, dùm diuina officia durant, ad illa accedere interdicti à iure non permittuntur. Nec puto, confessionem, & absolutionem generalem, quæ post concionem solenniter ab Episcopo fit, posse fieri ipsis interdictis pręsentibus, cum illa sit pars officij pōtificalis; & ad functionem pontificalem simpliciter spectet. Et extra hunc casum puto intelligēda esse verba Concilij Carthaginensis 4. vbi c. 84. sic statuitur: *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue hæreticum* (expone cum

gloss.

gloss.non denunciatum,& nominatim præcisum) *siue Iudæum vsque ad missam cathecumenorum*. Quod in can. 67.de consecrat.dist.1.refertur. Vgot.existimat, hũc canonem abrogatum esse quoad hæreticos; quod certè in concione,quæ inter missarum solennia fit, credimus verissimum esse. Et sic etiã intelligendus est tex. in dicto cap. Responso.

Interdicti nominatim,vel illi, propter quorum culpam latum fuit interdictum,indulgentijs tàm Pontificijs,quàm Episcopalibus non gaudẽt, quia nõ sunt verè pęnitentes;secus de alijs.Ita Tabien. verb. Interdictum 6.§.4.benè affirmat, & Io. Cald. ab eo citat. Atque hæc est potissima causa,Cur interdicti cõcioni assistere non possint, quando inter missarum solennia coram Episcopo habetur : quia dantur immediatè post concionem ab eodem concionatore indulgentiæ post confessionem generalem;Cuius indulgẽtię(vt dictum est)non est capax ille, qui interdicti ligatur vinculo. Nec indulgentiæ in loco generaliter interdicto ob eandem causam sunt publicandæ: præsertim si sint indulgentię locales.

Non licet tempore interdicti Sanctiss. Pauli V. durante, extra casus à iure permissos,in loco sacro generaliter interdicto (recitando, vel cantando nocturnũ mortuorũ,psalmos,respõsoria pro defunctis priuatì, vel publicè,aut missas solennes, vel non solennes pro illis celebrando) corpora defunctorum sepelire;cum

in

in huiusmodi modo sepeliendi includãtur diuina offi cia tũc eo modo nõ permissa, vt patet in monitorio Põtif. Licebit tñ ea sepelire extra loca ĩterdicto nõ supposita, vt Suarez in simili notat disp. 35. sect. 1. Huic doctrinę consentiunt D. Antonin. in tract. de interdicto. Syluest. verb. Interdictum 5. q. 8. & alij. Si autẽ de facto sepeliantur (licèt id factum non ritè sit) non sunt exumanda corpora; nisi sint eorum corpora, qui dederunt causam interdicto, vt ibi Suarez sect. 3. Quę doctrina est quoque intelligenda de his personis, quę non fuerit nominatim interdictę, & sic declaratę, per Extra. Ad euitanda. Qui autem scienter præsumeret personam nominatim interdictam sepelire in loco sacro, non solùm peccat mortaliter, sed eiam excõmunicationis pęnã incurrit, latam in Clement. 1. de sepulturis, & in cap. Episcoporum. de priuil. in 6. In quo ẽt capite alia pęna afficiuntur: interdicuntur enim ibi ab ingressu Ecclesiæ personæ sepeliẽtes in loco sacro personam interdictam.

Quod si quis ab ingressu Ecclesię ĩterdicatur, sciat sibi non licere, non solũ diuina officia, & missas ibi audire; quod oẽs Doct. concorditer docent: sed ẽt priuatas orationes ibi ex ĩstituto facere, ac denjq; vti pręfata Ecclesia formaliter, vt Ecclesia ẽ, quoad uẽni actũ, qui exercetur in Ecclesia formaliter sũpta, & vt locus sacer est; nõ aũt materialiter, vt si trãsiret per eã, vel ĩ Ecclesiam se reciperet ad euitãdam pluuiã, vel aliud incommo-

incommodum; si quis tamen se in ea reciperet ad manus curiæ effugiendas, incurreret sine dubio; quia Ecclesia hoc priuilegio gaudet, quatenus locus sacer est: licèt priuilegio immunitatis gaudeat. Nec ab Ecclesia extrahi iure possit, vt notat Nauar. cap. 25. nu. 19. §. Tertium. & dicit esse communem opinionem Doctorum in Clem. 1. de pęnit. & remiss. De qua re legendi sunt Syluest. verb. Interdictum 6. quæst. 6. Innocent. in cap. Sacro. num. 2. de sentent. excommunicat. Abbas in cap. Cum Ecclesia. nu. 5. de immunitat. Eccles. & Caldarin. tract. de interdict. Eccles. mēbr. 2. vers. Sed queritur. & Felynus in cap. A nobis. num. 6. de except. ac denique Suarez disput. 35. sect. 4. §. Vltimo loco.

Nec licet illi, qui hoc interdicto personali affectus est, audire, extra Ecclesiā existens, officia diuina, quę intra Ecclesiam celebrantur. Ex vi enim talis interdicti id ei prohibetur; cum finis illius sit, ne iste sacris fruatur, vt benè affirmat Suarez ibi, & Syluester loc. citato.

Interdictum locale generale non possunt ferre Prę lati religionum, nisi in aliquo loco, in quo habent iurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem. Iurisdictio enim horum Prælatorum magis est in personas, quàm in loca, vel territoria. Ita Soto in 4. dist. 22. quęst. 3. artic. 1. conclus. 2. Addit Suarez disp. 36. sect. 1. nec posse huiusmodi Prælatos ferre interdictū

locale

locale speciale, etiam in eorũ domibus, monasterijs, collegijs, & Ecclesijs: est enim medium eorum institutis improportionatum, & incongruum.

Posito interdicto generali in aliquo loco, seu ciuitate, vel dominio, omnia loca tàm sacra, quàm non sacra sub eodem interdicto comprehēdi intelliguntur. Suarez disput. 32. & 36. sect. 2. Nec in hoc apud Doctores vlla est difficultas: non autem idem est de interdicto particulari alicuius loci; licèt locus non sacer vtiq; possit interdici. ibidē Suarez, & Nauar. cap. 27. num. 175. gloss. cap. Alma. ver. Ecclesijs.

Terræ, Ciuitates, & loca interdicto supposita, si alienentur, vel per bellum acquirantur ab alio domino, remanent interdicta, & interdicti relaxatione ab Ecclesia facienda indigent; est communis Doctorum sententia, Syluester. verb. Interdictum 2. num. 3. Geminianus in cap. Si sententia. de sent. excom. in 6. Calder. tract. de interdicto. numer. 2. Suarez disput. 38. sectio. 1.

Si Ecclesia ędificetur in loco interdicto, vel in eo reędificetur, remanet interdicta, vt Suarez benè ibi: ratione enim soli, quod interdictum est, id accidit.

Interdictus specialiter non liberatur ab eo per ingressum religionis, nisi in illius priuilegijs id expressè habeatur. Suarez disp. 38. sect. 1. contra Syluestrium.

Interdictum nullum ita ponitur, vt in perpetuum duret: cum enim interdictum sit spiritualis quædam

M pęna,

pęna, & cēſura priuās nōnullis bonis pertinētib. ad commune bonum animarum, non expedit eſſe perpetuum, alioquin magis vergeret in deſtructionem, quā in ędificationem, & vtilitatem. Alias huius rei rationes legas apud Suarez diſp. 38. ſect. 1. In interdicto generali loci non habet locum abſolutio ad cautelā. Ita eſt tex. in cap. Præſenti. de ſent. excom. Nauar. ī cap. Cum contingat. de reſcript. Couar. in cap. Alma. par. 2. §. 2. num. 5. Eſt enim hæc cenſura adeo grauis, & publica, vt etiam quando nulla reputatur, aut terminata, & finita eſſe dicitur, debeat in primo caſu nulla declarari, & in ſecundo ſimpliciter tolli, vel relaxari, ad populorum certitudinem, & ſecuritatem. Suarez ibidem ſect. 3.

Interdictum poſt ſententiam latā non ſuſpenditur per appellationem. cap. Is cui. de ſent. excom. & cap. Ad hæc quoniā. de appellat. Quando verò interdictū ſuſpenditur ad tempus, tūc etiam appellatio facta nō tenet. gloſſ. cap. Præterea. de appellat. Si verò conditionaliter interdictum feratur, facta appellatio ante conditionem impletam, valet, vt in eod. capit. Sacerdote admittente ſcienter eos, qui ſunt interdicti ad diuina officia, alij non tenentur exire: huiuſmodi verò Sacerdoti in pęnam Eccleſiæ ingreſſus vſq; ad ſatisfactionem prohibitus eſt.

Tempore interdicti localis generalis, vel ſpecialis poſſunt licitè in Eccleſia non ſolùm Clerici, ſed etiam laici

laici orare priuata oratione, dùm diuina non celebrãtur; & cùm celebrantur, per eam transire : finis enim huiusmodi præcepti, quo indicitur interdictum, est, ne diuina officia laici audiant, vel Clerici in Ecclesia celebrēt. Ita Syluest. verb. Interdictum 5.q.5.§. Tertium. Et talis actus orationis priuatæ non comprehenditur sub actibus prohibitis, etiam si orantes sint interdicti, vel ipsa Ecclesia; nisi illi ab ingressu Ecclesię (vt dictum est) specialiter interdicti essent. Interdicta verò Ecclesia potest quis extra eam in oratorio, quod tamen Ecclesiæ præfatæ coniunctum non esset, nó solum orare, sed etiam celebrare.

Tempore interdicti generalis localis laici, decedētes etiam cum signis contritionis, & pęnitentię sacramento, non debent in illo loco, terra, vel ciuitate interdicto supposita, in Ecclesia, vel cęmeterio ab Episcopo ad vsum sepulturę deputato, & benedicto sepeliri, etiam non solenniter; exceptis tamen personis, quæ ab homine, vel à iure super hoc priuilegium habent, vel casibus à iure permissis. Ita est textus expressus in cap. Quod in te. de pęnit. & remiss. & sumitur ex cap. Cum, & plãtare. §. Quod si. & cap. Vt priuilegia. de priuil. & cap. Episcoporum. eod. tit. in 6. & Clem. 1. de sepult. Nec solùm adultis fidelibus, sed ẽt infãtibus baptizatis huiusmodi sepultura denegãda est; cũ iura simpliciter, & absolutè loquantur: & huiusmodi prohibitio ęquè locũ hẽat, tàm in corporibus infãtiũ,

quàm adultorum ; immò prohibitio fit ipsis viuentibus, quib. ꝓhibetur, ne ī tali loco sepulturã alicui tradant. Ita Syluest. verb. Interdictum 5. quæst. 8. num. 10. disput. 35. sect. 1. Possunt tamen extra Ecclesiam, & cęmeterium, ne corpora remaneant inhumata, in alijs partibus terrę, vel ciuitatis sic interdictę sepeliri, absque tamen celebratione diuinorum officiorũ, pulsatione campanarum &c. vt ibidem Syluest. Nec in capit. Alma Mater. aliquid circa sepulturam innouatur.

Interdicto populo non includuntur, qui non sunt doli capaces, licèt illis, vt dictum est, sepultura negetur; nec includitur extraneus illic habitans; nec interdicto loco includuntur simpliciter, tanquam specialiter, vel personaliter, illi, qui non sunt culpabiles in ea causa: possunt enim alibi (si absit scandalum) & celebrare, & audire diuina officia, ac sepeliri, vt expositum est.

Communitas, seu Respub. faciens soluere Clericis illicitas gabellas, ipso facto est interdicta. cap. Quãquam. de censib. in 6. Syluest. verb. Interdictum 4. Suarez disput. 37. sect. 1. Quàmuis Cald. dicat, hanc pęnam non esse consuetudine receptam; quare expediret (saluo meliori iudicio) ad audaciam, & auaritiam laicorum reprimendam, in honorem Clericorum illã innouare.

Interdictis omnibus Ecclesijs Ciuitatis, vel tota

dioecesi

diœcesi, non intelligitur interdicta Cathedralis, vel Metropolitana; non enim in odiosis illarum nomine veniunt, & debent specialiter exprimi, nisi interdictũ esset generale loci: nec interdicta Ecclesia, Clerus illius intelligitur interdictus, vel contrà: interdicta verò Ciuitate, etiam suburbia ei non subiecta interdicta intelliguntur, atque etiam parochiæ exemptæ, seu alterius diœcesis, vel iurisdictionis in ea existentes. cap. Si Ciuitas. de sentent. excommunicat. in 6. & Suarez disput. 36. sect. 2.

Interdictus personaliter nullibi potest celebrare, etiam in oratorio, vel loco non interdicto: potest tamen orare priuatim in Ecclesia, dummodo ex proposito non audiat diuina officia, vt dictum est.

Interdictus, si non sit excommunicatus, & in statu gratiæ existat, potest esse particeps sacrificiorum, & diuinorum officiorum quoad fructum; licèt eis interesse non possit, in quo differt ab excommunicato. Ita benè Suarez disp. 35. sect. 1. §. Dices.

Violare interdictum ex genere suo non solùm Clericis, sed etiam laicis peccatum mortale est. De Clericis est communis conclusio apud omnes Doctores, vno Caietano excepto, qui in verbo Interdicti violatio, de ea re dubitat; cui aduersãtur Soto dist. 22. q. 3. art. 1. conclus. 5. & Nauar. cap. 27. num. 187. & Suarez disp. 34. sect. 4. assert. 1. Hic multis rationibus id constanter probat, & pręcipuè per inductionem, percurrendo

currendo omnes species interdicti. Est enim omnis, & precipuè hęc interdicti Veneti materia grauis, & obseruatione dignissima, ius religionis directè concernens, contra quã huiusmodi transgressores agentes, maximum in Dei Ecclesia scandalum generant; quod intelligendum est etiam de Clericis, qui exercent actũ alicuius ordinis minoris tempore interdicti: est enim huiusmodi actus sufficiens ad materiã peccati mortalis, cum sit actio sacra, ad quam minister ex officio est consecratus; præsertim cum hæc ministeria semper fiant cum aliqua cooperatione ad missæ sacrificium, vel aliud sacrum officium, propter quod potissimum fertur interdictum. Ita Syluest. verb. Interdictum. q. 3. & 4. in princ. & q. 5. vers. 1. & 4. & Suarez disp. 34. sect. 4. §. Enodantur aliqua dubia, contra Sotum dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 5. Adeo verò hoc certum est, vt etiam si omittatur, vel vnica circumstantia, in cap. Alma. pręscripta, veritaté habeat in interdicto generali loci, vt v. g. si seruatis alijs circũstantijs missa apertis ianuis in Ecclesia dicatur, huiusmodi transgressores sine dubio mortaliter peccant. Ita Syluest. verb. Interdictum quæst. 5. in princ. Tabien. numer. 2. Armill. numer. 43. Hostiensis, Ioannes Andreas, Calderinus ab illis citati, Couar. in cap. Alma. part. 2. §. 4. numer. 6. vers. 14. Suarez loco proximè citato, qui benè animaduertit, non ex ipsa pura circumstantia omissa huiusmodi peccatum mortale oriri, sed

quia

quia totum officium modo indebito persoluitur: officium autem diuinum rem esse grauissimam, & recto ritu peragendam, nemo dubitat.

Dictum autem est totum officium: nam si pars minima officij sine illa circumstantia diceretur, vt si, dùm dicitur offertorium, vel postcommunio, esset aperta ianua Ecclesiæ; vtique propter paruitatem rei non esset materia peccati mortalis. Huiusmodi verò violationem interdicti Clericis peccatum mortale esse, apertè indicant grauiores pœnę, in iure contra tales violatores statutæ. Quicquid dicat Caietanus verb. Interdicti violatio. Quàmuis enim nonnullę pęnę Ecclesiasticæ possint incurri sine peccato mortali, vt irregularitas, & quandoq; suspensio: nihilominus magnitudo, & pōderositas pęnarum indicat grauitatem materiæ, quæ præcipitur; cuius quidem transgressio mortale peccatum est. Clericos autem violantes locale interdictum (exercendo actū propriū sui ordinis eo modo, quo à laicis exerceri non potest) irregulares fieri, & alias censuras, vel inhabilitates in iure expressas incurrere, vt paulò ante indicauimus; est vniuersalissimū axioma in hac materia, vt notant gloss. & Doct. in cap. Episcoporum. de priuil. in 6. & in cap. Is, qui. de sent. excom. in 6. Abbas cum alijs in c. Postulastis. nu. 5. de Cleric. excom. minist. Sot. dist. 22. quæstion. 3. articul. 1. conclus. 5. Richardus in 4. distin. 13. art. 4. quęst. 1. & nos supra proba-

probauimus; eandemque irregularitatem incurrunt Clerici, qui violant interdictum personale, siue speciale, siue generale, vt probant Doctores, & Summistæ ex cap. Is cui. de sent. excom. in 6. Religiosi tamen cantantes in Choro tempore interdicti, licèt grauiter peccent, non fiunt ob id irregulares, nisi officium Sacerdotis in Choro, vel in Altari, vel circa Altare officium proprium alicuius ordinis exerceant. Quare Monachi, qui nullum ordinem habent, quàmuis & ipsi peccent, non incurrunt hanc irregularitatem propter quodcunque ministerium ab eis exhibitum in celebratione, etiam solenni, ac publica diuinorum officiorum, vt notauit Nauar. cap. 27. num. 187. & Suarez disp. 34 sect. 4. 5. Atque hinc intelligitur. Licèt fiant ineligibiles actiuè, & passiuè, vt superius diximus.

Laici verò violando interdictum personale, non solùm speciale, sed etiam generale, vtique mortaliter peccant, vt tenet Panormitanus, & alij in cap. vltimo de exceß. Prælat. quod etiam pro quasi certo tenet Soto dist. 22. quęst. 3. art. 1. conclus. 6. & Nauar. cap. 27. nu. 187. contra Caietanum. Est enim interdictum personale censura Ecclesiastica directè imposita huic personę, abstrahendo, quod ille talis sit laicus, vel Clericus, totamque suam obligationem in illo, cui applicatur, inducit, quę ratione grauitatis materię ad mortale peccatum ex genere suo obligat. At verò laici violando

lando interdictum locale, siue speciale, siue generale, ex genere suo etiam mortaliter peccant, vt docent Innocentius, Hostiensis, & alij, quos refert Syluester verb. Interdictum 6. quæst. 7. Et quàmuis ipse Syluester hoc limitet ad casum, quando id fit ex cõtemptu; tamen rectè à Suarez reijcitur sect. 5. disp. 34. cum in iure laicis strictè, & grauiter prohibeatur interesse diuinis in loco interdicto, vt habetur in c. Si sentẽtia. de sent. excom. & in cap. Licet. de priuil. in 6. cuius rei illud argumentum clarissimum est, quòd Clerici debẽt laicos excludere ab Ecclesia: ergo illi tenentur non adesse diuinis, non solùm quidem, vt pareant Clericis, vt dixit Soto, sed quia hoc illis prohibitum est. Ob meram tamen transgressionem interdicti, quam laici committunt diuinis officijs se ingerendo, nullam pœnam, vel censuram incurrunt, quia nulla in iure expressè inuenitur, vt doctè Suarez loco citato in 3. conclus. asseruit.

3 Laicus tamen, si aliquo speciali modo concurrat ad celebrationem diuinorum contra interdictum, vel speciali pertinacia illud violet; tunc in aliquibus casibus in iure expressis ob eam causam specialem censuram incurrit. Sic in Clement. 2. de sent. excom. Ipso facto laici excommunicantur, qui cogunt quempiam celebrare diuina officia in loco interdicto; vel publicè vocant eos, qui prohibentur, vt diuinis officijs in loco interdicto celebratis intersint; vel prohibent, ne in-

 terdicti,

terdicti, qui missę intersunt, exeant, postquam à celebrantibus moniti sunt; & tandem etiam ipso interdicti excommunicantur, qui post similem monitionem non egrediuntur, vt etiã superius exposuimus. Quare laicus propter præcisam interdicti violationem nunquam fit immediatè irregularis, vt notauit Couar. in cap. Alma. part. 1. §. 1. num. 3. Nauar. capit. 27. num. 187. alios casus ponit, in quibus laicus violando interdictum peccat. Primo cum talia officia dicit, qualia dicendo violarent clerici; quo casu posset laicus ab Episcopo puniri quia cum delictum sit Ecclesiasticum, vt etiam docet Cald. in tract. de Eccles. interd. mẽbr. 6. Secundo quando mentitò habitu, vel nomine, asserens se esse clericum, vel habere priuilegium, ad diuina clausis ianuis recitata ingreditur. Tertio quando est causa tacitè, vel expressè quomodolibet, vt diuina dicantur.

Moniales verò publicè diuina officia canendo, seu recitando, vt prius, violant interdictum, & peccant grauiter, vt habetur in cap. Postulastis. de cleric. excommunicat. & cap. Ministrante. Caietan. in Summa. tit. de violat. interdict. & Suarez loco præcitat. Pœna autem illarum est in iure decreta, vt in arctiori Monasterio ad agendum pœnitentiam recludantur.

Addit Caietanus, quod tunc etiam Moniales violant interdictum, quando faciunt ea, quæ Cle-

ricis

ricis intelliguntur prohibita, tanquam competentia ex ordine aliquo; vt si canant collectam, vel intonent in Choro, *Deus in adiutorium meum intende*. Neque Moniales huiusmodi effugient pœnam excommunicationis latam in Religiosos violātes interdictum, in Clement. 1. de sentent. excommunicat. Moniales enim in hac materia interdicti veniunt nomine Clericorum, vt idem Caietanus affirmat in Summa.

CAPVT SEPTIMVM.

De pœnis, quas interdictum impedientes incurrunt.



RACTANDA est in hoc capite quæstio, quas nam pęnas incurrãt Principes, Magistratus, & Senatores, qui sua auctoritate laicali impediunt, ne Pontificium interdictum in eorum dominio publicetur, & locis debitis affigatur: nec non illi, qui comminatis supplicijs, etiam mortis procurant, ne à laicis, vel Clericis illud obseruetur.

Qua in re id, vt certissimum, primo loco ponendum est, Summum Pontificem posse preceptum, ac sententiam condere, & promulgare legem, quæ obliget omnes Christianos orbis, etiã Principes, Reges, ac Imperatores, circa spiritualia, & spiritualibus cõnexa, & annexa, & ab eis quomodolibet directè, vel indirectè dependentia, etiam si temporalia sint, in quantum ab illis dependent. Hoc dictum est de fide, cum ex principijs in Euangelio à Christo traditis necessaria, & immediata consequentia deducatur:

 quod

quod facili negotio demonſtratur. Et

Primo Ioan. 21. dixit Chriſtus Petro, ſupremam, & vniuerſalem poteſtatem in totum orbem Chriſtianum illi, ac ſucceſſoribus eius immediatè tradens, *Paſce agnos meos, Paſce agnos meos, Paſce oues meas*; bis dicit agnos, & ſemel oues: quãuis Græci interpretes ſequuti lectionem græcam fortè corruptam ſemel agnos, deindè bis oues legant. Et licèt Ianſenius, quem ſequitur Maldonatus, cēſeat, idē in ſcripturis valere agnos, ac oues, & vnum pro altero vſurpari; tamen, cum non voce tenus, ſed re ipſa etiam hæc diſtincta ſint, veriſimile eſt, in re grauiſſima, de qua agebatur, nō pro eodem in eadem ſententia accipi, ſed varios Chriſtianorum gradus ſignificare. Per agnos B. Ambroſius, Maximus, Lyranus, & alij intelligunt incipiētes; per ouiculas, vt illi legũt, proficiētes; per oues, perfectos: & Beatus Leo per agnos, gētes; per ouiculas, Patres veteres; per oues, Apoſtolos. Quicquid tamen ſit, ille ſenſus veriſſimus, & catholicus eſt: nimirum ad ouile Chriſti omnes Chriſtianos ſpectare, ſiue agni, ſiue oues ſint. Et cum in ouili ſolùm agni, & oues exiſtãt, his verbis ſignificatur, Petrum omnium Paſtorem, & Rectorem eſſe; quia præter agnos, & oues in Eccleſia nihil eſt, vt optimè Euſebius Emiſſenus in ſerm. de Natiuit. Ioan. Euang. docet; & huius varietatis cauſam aſſignans, *Prius*, inquit, *agnos, deindè oues ei commiſit, quia non ſolùm paſtorem, ſed paſtorum paſtorem eum*

con-

constituit; pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues; pascit filios, pascit & matres; regit & subditos, & prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos, & oues in Ecclesia nihil est. Hæc ille. Per agnos igitur cęteri fideles, per oues ipsi Apostoli, & cęteri pastores particulares Ecclesiarum rectè intelliguntur; bis autem dicit agnos propter duos populos, gentilem, & iudaicum, vt docet B. Leo: ita vt vniuersa Ecclesia Christiana subditorum, & prælatorum, gentilium, & Iudeorum ad fidem conuersorum per hęc duo nomina significetur; & insuper certò sciatur, omnes agnos, & oues Christi sine vlla exceptione sub Petri regimine verbo Christi expresso assignatas, & constitutas esse, à quo regi, gubernari, pasci, ac corrigi debeant. Ita Patres docent, Epiphanius in Anchorat. Cyprianus lib. de vnit. Eccles. Ambr. in c. vlt. Lucę. Leo ser. 3. de Assumpt. sua ad Pōtificatū. & epist. 89. ad Episcopos Viennenses, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, D. Thomas in cap. vlt. Ioan. August. tractat. 123. in Ioan. in fin. Maximus in serm. de sanct. Petro, & Paulo, Bernard. lib. 2. de considerat. & alij.

Per vocem verò, *pascere*, intelligitur omnis actus, plenissimaque iurisdictio in foro, tàm interiori, quàm exteriori, quæ ad bonum regimen Ecclesię necessaria est; siue hi actus fiant per doctrinam, per præcepta, & leges Ecclesiasticas, per sacramentorum administrationem,

tionem, per exemplum, per pęnarum inflictionem; siue denique per omnia alia media, quæ ad regimen pastorale, & ad præfecturam gubernationis totius ouilis Christi requiruntur, cum proprium sit Pastoris præesse, regere, ducere, reducere, cibum præbere, tueri, & castigare. Ita August. loc. citat.: *Quibus*, inquit, *oues ipsas pascendas, hoc est, docendas, regendasque cõmittit.*

2 Conueniunt autem hi actus pascendi Petro, & Romano Pontifici non rustico, vel vulgari, sed regali modo, vt ex gręca voce, *Pimane*, quæ pascere significat, cognoscitur; Est enim ea vox regia, potestatem regalem significans, vt ex alijs locis scripturæ deprehenditur, in quibus hoc vocabulũ, *pascere*, ponitur, vt Mich. 5. Apoc. 19. ps. 2. & alibi. Significat enim vox illa, pascere quidem, sed regendo, ac præsidendo. Quod etiam sępè innuit D. Gregorius in lib. de cura pastorali. Et rectè Caietanus animaduertit, in secũda Christi commissione dictum fuisse, *rege*, pastoraliter tamẽ, *agnos meos*. Vndè ex hoc eodẽ loco Ioãnis colligitur, datam fuisse Petro potestatem faciendi oues, idest, creãdi pastores, & Episcopos, per quos lactarentur agni. Turrecr. lib. 2. Summę de Ecclesia. cap. 32. & 34. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 1. cap. 4.

3 Poterit igitur Romanus Põtifex pręcepta, & leges ferre, quę obligẽt, nõ solùm in cõsciẽtia, quoad peccatum; sed ẽt quoad pęnas in eis inflictas in externo foro tã cęteros fideles, quã Imperatores, Reges, ac Duces.

Alte-

Alterum enim horum necessariò dicendum est, vel Reges, & Principes non esse agnos, vel oues Christi, neq; ad Dei ouile spectare, vel certè, si oues, vel agni Christi sunt, & se esse profitentur, à Romano Pontifice per leges Ecclesiasticas, & per præcepta ab eo emanata regi, dirigi, ac castigari posse, si deliquerint. Id enim ex huiusmodi apertissimo loco Ioannis conuincitur. Sic Gregorius Nazianzenus in orat. ad Ciues timore perculsos, Imperatorem appellat, *Sciote*, inquit, *ouem esse gregis mei &c.* Multò magis Romani Pótificis. Ex quo etiam loco Ioannis idem definit Innocentius III. in cap. Solitę. de maiorit. & obedient, & Bonifacius VIII. in Extrauag. Vnam sanctam, eod. tit.

Secũdo probatur idem ex alio loco scripturę Matth. 16. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.* Quæ verba ad omnia, quæ secundùm vsum scripturę dicuntur ligari, referenda sunt, cum Christus generaliter Petro loquatur; nec dicat, *Quemcumque ligaueris*, sed, *Quodcumq; ligaueris*: non aliquid sic, & aliquid non, vt Caietanus notat, sed absolutè. Atqui reperimus Matth. 23. ligare, significare, legem imponere: *Alligant enim*, inquit, *onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.*; alligationes illę per vincula præceptorum fiebant, vt Origenes, Theophylactus, & Caietanus exponunt.

Igitur

Igitur cum Dominus promiserit Petro, eiusq; successoribus, vt quicquid ipse ligauerit in terra, id est, quam obligationem præcipiendo ipse fidelibus imposuerit, sit ligatum & in cælis, hoc est, se ratã illam habiturum; necessariò sequitur, obligari fideles ad obediendum, & inobtemperantes peccare: præceptum enim Petri præceptum Christi censetur. Petri namq; humana sententia diuina roboratur; ideoque hæc eadem sententia, vt inquit D. Hier. in illud Matth. 18. *Quodcunq; ligaueritis*, potius diuina, quã humana æstimanda est, ac proïdè oĩ obseruatione, ac veneratione dignissima. Vndè & illud rectè canitur in Ecclesia, *Quodcumque vinclis super terram strinxeris, Erit in astris religatum fortiter.* Hac eadem ratione vtitur Innocen. III. in cap. Nouit. de iudicijs. §. Cum enim.

Tertio idem ostenditur ex verbis illis Ioan. 20. *Sicut misit me uiuens Pater, & ego mitto vos.* Ex quo loco B. Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, & alij euidenter colligunt, fuisse Apostolis, & eorum successoribus (respectiuè tñ) à Christo collatam põtatẽ gubernandi Ecclesiam, atque adeò leges huic functioni cõgruẽtes, ẽt in foro exteriori, sãciẽdi, sicut ipse Christus à suo Patre hãc põtatẽ accepit. Vndè prętet alias põtates post hęc eadẽ verba collatas (tũc enim dixit, *Euntes, baptizate, docete &c.*) illicò postremam potestatem remittendi peccata hactenus Apostolis non exhibitam, illis contulit dicens, *Accipite spiritum sanctum &c.*

ctum &c. Iste enim est primus, & vltimus locus, vt notauit Caietanus, in quo explicitè potestas remittendi peccata Apostolis tradita fuit, quò hæc Apostolorũ missio, tàm in foro exteriori, quàm in foro interiori completa, & perfecta esset.

Quare ex Act. 15. luculentissimè apparet, Apostolos condidisse nouam legem, vt Chrysostomus ibidẽ annotauit. Sic enim Petrus locutus est in Concilio Hierosolymitano, *Visum est spiritui sancto, & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria &c.* Super quibus verbis Chrysost. hom. 33. in Acta, *Vide*, inquit, *breuẽ epistolã, neq; epicheremata, neq; syllogismos hẽntẽ, sed Imperiũ.* Quod idẽ in can. 62. Apost. grauissimis pœnis pręceptũ fuit, atq; ẽt ĩ Cõc. 2. Aurel. c. 19. & 20.

Ex veteri quoque testamento locum vnum insignẽ afferamus ex Deut. 17. *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malũ de Israel.* Ex hoc loco à simili, vel à maiori sumi debet argumẽtum de Christianis Principibus Ecclesiasticis, qui non debent esse minoris auctoritatis in lege noua, immò maioris, quàm fuerint in lege veteri. Hoc eodem loco vtitur D. Cyprianus ad obedientiam potestati Ecclesiasticæ præcipienti exhibendam in epist. 65. quam omnimò legas.

Relinquimus hic alia loca scripturæ idem probantia, cum alibi à nobis allata, & exposita fuerint. Locus

cus ille D. Pauli 1. ad Cor. 7. ad extremum poni debet, *Nescitis*, inquit, *quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* Ex quib. verbis sacri Canones supremā potestatem Summi Pontificis, etiam super Reges, & Principes terræ, deducunt in definiendo, ac iudicando, præcipuè quando dubitatur, sit ne sceptrum, vel corona regia in illis legitimè collocata. Ita habetur in can. Nemo. 9. quæstion. 3. & in capit. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi.

5. Constat autem ex praxi Ecclesiæ, ac perpetua eius consuetudine, Summum Pontificem huiusmodi leges obligantes quoscunque Christianos sine vlla exceptione tulisse. Canones enim Apostolorum, & Pontificum, præsertim Veterū decretales, id omninò declarant, immò etiam Conciliorum decreta, vt in Chalcedonensi action. 15. in Romano sub Hilario I. can. 1. & in 6. Synod. action. 4. & in 8. Synod. action. 1. & in Concilio Toletano 3. can. 1. Quibus adde determinationem Concilij Viennensis, vt refertur in Clemen. Ad nostrum. de hæreticis, & Constantien. sess. 8. & Florent. in vnione Armen. & Trident. sess. 6. can. 20.

Nec solùm decretis, sed etiam factis, & essequutione ipsorum decretorum vsa fuit Ecclesia Catholica contra Principes inobedientes, & sacrorum canonum transgressores, illos pœna non solùm spirituali, sed etiam tēporali puniēdo. Sic Zacharias Childericū

Regem deposuit, & Pipinum creari iussit, ob spretam ab eo religionem, & barbaros mores à regio splendore degenerantes. Sic habetur 25. quæst. 6. can. Alius, & ita referunt Eginhardus in vita Caroli Magni, Cedrenus in vita Leonis Isauri, Paulus Diaconus lib. 6. cap. 5. de gestis Longobardorum, Blondus lib. 10. Decadis primę, Rhegino lib. 2. Chronicorum, Marianus Scotus lib. 3. Chronologię, Otho Frisingensis lib. 5. historiarum, Ado Viennensis in Chronico, ætate sexta, Abbas Vrspergēsis in Chronico, Sigebertus itē in Chronico, & Paulus Aemilius lib. 1. & 2. de gestis Francorum.

Item Leo III. Imperium transtulit à Græcis ad Germanos, eo quòd Græci nullum auxilium Ecclesię occidentali laboranti afferre possent. Ita Zonaras, & Cedrenus in vita Irenę, Paulus Diaconus lib. 23. rerum Romanorum, Ado in Chronico anni DCCC. Albertus Krantzius in Metropoli lib. 1. cap. 14. Otho Frisingensis lib. 5. cap. 31. Marianus Scotus, Hermannus Contractus, Lambertus, Sigebertus, Rhegino, Palmerius, Blondus, omnesque alij Chronologi, vel Historici. Ita quoque Innocentius III. capit. Venerabilem. de elect. affirmat his verbis: *Ad eos*, inquit, *ius, & potestas huiusmodi ab Apostolica sede peruenit, quę Romanum Imperium in persona Magnifici Caroli à Gręcis transtulit in Germanos.*

Prætereà Gregorius VII. Henricum IV. Impera-

torem deposuit, & Innocentius III. Othonem IV. vt constat ex Blondo Decade 2. lib. 6. Innocent. IV. in Concilio generali Lugdunensi consentientibus omnibus Patribus Federicum II. deposuit, & vacauit imperium annis XXVIII. Ita Matthæus Palmerius in suo Chronico notauit. Quod factum etiam refertur in cap. Ad Apostolicæ. de sent. & reiudicat. in 6.

Item Innocentius IV. vt habetur in cap. Grandi. de supplenda negligentia Prælatorum, coadiutorem quendam dedit Regi Lusitaniæ, regna, & administrationem ei committens. Imperatore verò mortuo, vel alia ratione deposito, ne Populi in crimina elabātur, iure cautum est, vt Papa imperium gubernet. cap. Licet. & ibi gloss. de foro competenti. & Clemēt. 1. versus fin. de reiudicat.

Clemens VI. Ludouicum IV. Imperatorem à Ioāne XXII. & Benedicto XII. excommunicatum deposuit. Lege Pighium lib. 5. Hierarchiæ Ecclesiast. capit. 14. & 15.

Nec relinquenda hìc sunt alia exempla. Gregorius II. Leoni Imperatori Iconomacho à se excommunicato prohibuit vectigalia solui ab Italis, & proindè mulctauit eum parte imperij. Ita Cedrenus, Zonaras in uita Leonis Isauri, & alij. Agapetus Papa Clotarium Francorum Regem, quòd Gualterum Yuetoti dominum interfecisset, comminatione interdicti compulit, vt interempti familiæ satisfaceret, atq; eam im-

mundum redderet. Et tres Philippi Galliæ, seu Franciæ Reges à Summis Pontificibus excommunicati fuerunt. Philippus I. ab Vrbano II. authore expeditionis in infideles anno 1088. quod vxorem Bertham repudiasset. Alter Philippus Augustus à Cœlestino III. anno 1191. ob similem causam. Tertius Philippus Pulcher anno 1301. à Bonifacio VIII. Lege Yuo Carn. Aemyl. Guliel. Nang. & alios. Nicolaus I. Lotharium Regem excommunicauit, ni Valdrada pellice relicta, Thethbergam coniugem reciperet. Ita Aemyl. lib. 3. Et in continuatione Aymoinij lib. 4. c. 24. sic habetur, *Gregorius quartus excommunicaturus Ludouicum Pium ueniebat in Galliam, qui & idem, cum iniustè dicto Ludouico Regnum abrogatum per Concilium Episcoporum lugduni comperisset, decretum illius Concilij rescidit, & Ludouicum Regno restituit.*

Adrianus quoque II. quod etiam cap. 1. diximus, interdictum minitatus est Carolo Caluo, ni relinqueret Lotharij regnum filio ipsius Ludouico fruendum, & Paschalis Ludouicum Crassum, quia Clerum affligebat, excommunicauit.

Sed & per Episcopos idē factum est. Nā S. Germanus Parisiensis Episcopus Hqribertum Parisiorū Regem, Lotharij filium, ob iniustum diuortium, & incestas cum Merophleda ancilla nuptias, excommunicauit, vt refert Rheg. lib. 2. Ludouicus Crassus, quod in ordinē Ecclesiasticū sæuiret, bona ejus sibi vsurpans,

sc

se inconsulto Episcopos, & Abbates eligi nolens, à Stephano Parisiensi Episcopo est excommunicatus. Vnde cùm ab Honorio Romano Pontifice absolutionem obtinuisset, eã tamẽ D. Bernardus scriptis ad Honorium literis reuocari curauit; sic in eius epist. ad Honorium legitur. Nicetius quoq; Treuirensis Episcopus Clotarium Regem ob praua opera non semel excommunicauit, vt ait Gregorius Turonẽsis in vita Patrum Gallicorum cap. 17.

Celeberrimum illud exemplum vltimo loco referendum est, quod obseruatum fuit à Sixto V. Summo Pontifice in Consistorio Romę habito anno 1589. & sequentibus verbis sapientissimè relatum. *Princeps nõ vnius Regni, vt Franciç Rex, sed orbis Dominus, Clarissimus Imperator Theodosius, cui Gallia, Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Graecia, Asia, Syria, Aegyptus, Africa seruiebant; cuius tot in Ecclesiam pietatis merita, tot datę diuinitus victorię erant, ob vnius cędis Thessalonicę factę, primẽ à Põtifice nõ vniuersalis Ecclesię, sed priuatae Mediolan. Vrbis Ambrosio, anathemate percussus, paruit vltro, & se restitui Ecclesię oĩ obediẽtia, officio, ac sũmissione satagit.*

Ex his sequitur, errasse Gersonem in lib. de vita spirituali sect. 4. qui generatim negat, potestate Ecclesiastica, vel etiam Ciuili, circa materiam aliquam posse fieri legem, quae vi sua obliget ad peccatum mortale. Quod etiam Valdenses teste D. Antonino 4. part. titul. 11. capit. 7. §. 2.

Summę Theologicę senserunt. Atque idem postea docuit Marsilius de Padua in libro, quem inscripsit, Defensorem pacis, cōtra quem scribit Pighius lib. 5. Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Deinde hoc falsum dogma iterum docuit Ioannes Vuiclef, vt patet ex art. 38. Damnato. in sess. 8. Conc. Constāt. Quod postea asseruit Ioannes Huss, vt patet ex artic. 15. ibidem. Lutherani item, & Caluinistę, à quibus isti Pseudotheologi re ipsa non recedunt, quorum falsæ doctrinæ ex dictis abūdè refutatæ sunt; contra quos etiam extat illustre testimonium D. Ignatij in epist. ad Trallenses. *Quid est*, inquit; *Episcopus, nisi omnem Principatum, & potestatem omnium illorum tenens, quemadmodum decet hominem tenere ad imitationem Dei factum secundùm uirtutem? Quid est Presbyterium, nisi institutio sancta consiliarij, & consessores Episcopi? Quid etiam Diaconi, nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri? Qui igitur illis inobediens fuerit, hic sine Deo omninò erit impius, & contumax, Christum, & ordinationes eius minorans?* Idem quoq; Cyprianus scribit in epist. 55. & 65. in qua pulchra de hac re inuenies.

Secundò, vt certissimum quoque, ponendum est, legem, seu præceptum etiam Summi Pontificis, vt Christianos liget, iustum, rectum, & honestum esse debere. Lex enim, quæ iniusta est, adeo à ratione legis recedit, vt nomen legis omninò perdat, & potius violētia sit, quàm lex, vt inquit D. Thomas 1. 2. q. 96. art. 4.

art.4. Quare ex mente Isidori lib.5. Etymol. cap. 4. & D.Thom.quæst.91.& quæst.94.art.2.& Gregor. de Valentia disp. 7. quæst.5.de lege humana, punct. 1. ita lex iusta describitur, vt sit rectum decretum rationis, conuenienter legi naturali, & ęternę, per ratiocinationem aliquam probabilem, ab habente publicam auctoritatem sancitum, pręscribens aliquid, quod sit à subditis necessariò seruandũ. Quòcirca D. Augustinus lib.1. de liber. arbitr. capit.5. rectè ait: *Mihi lex esse non videtur, quę iusta non fuerit.* Neque in hoc puncto est nobis amplius immorandum, cum res ex seipsa notissima sit.

Tertio, vt omnibus compertissimum, & à nobis sępè traditum, supponẽdum est, iustitiam legis ex quatuor eius causis, formali, materiali, efficienti, & finali præcipuè sumendam esse. Ex his enim iustitia, vel iniustitia, obligatio, vel non obligatio legis, seu præcepti necessariò deprehenditur, & mensuratur, vt definit D. Thomas 1.2.quæst.96.artic.4. & 2.2. quæst. 60.art.5.ad primum. Atque ad hæc quatuor genera causarum reducuntur omnes qualitates legis positiuę, quas Isidorus describit lib.5.capit.21. & D. Thomas exponit 1.2.quæst.95.art.3.& Soto lib.1.de iust. & iur.quæst.6.art.4.5. Existimatur.

Ad legis igitur, seu pręcepti, vel sententię iustitiã omnes eius causę accedant, necesse est; finalis in quã, vt ad bonum commune referatur, siue spirituale, siue

porale pro qualitate legis profanę, vel Ecclesiasticæ. Illius enim finis est pax ciuium: huius autem est pax Ecclesię, & salus animarum, vt inquit D. Thomas quodl. 12. art. 26. Efficiens verò sit ille, qui in eos, in quos fertur, imperium habeat, nec suam potestaté excedat. Formalis, vt iuridico modo feratur: Quoad materiam verò illud necessariò requiritur, vt opera mala prohibeantur, & virtus, seu ea, quę concernunt iuris diuini, seu naturalis, vel Ecclesiastici executionem pręcipiantur. Ad iustitiam enim omnis legis pro recta materia vnum ex his tribus requiritur: Etenim leges illę, seu pręcepta, quæ diuino, naturali, siue Ecclesiastico bono repugnant, tanquam iniustę, nullam obligationem inducunt, atque illis intrepidè obsistẽdum est. Omnis enim lex humana eatenus vim legis habet, quatenus à lege diuina, & naturali deriuatur, & eis conformis est, vt docet D. Thomas 1.2. quæst. 19. art. 4. & q. 95. art. 2. & 3. Quod si aliquid contra Deum, vel Ecclesiam præcipiat, tanquam iniusta, nec obligat, nec est ei obediendum, vt definit D. Thomas 1. 2. quæst. 96. art. 4. & 2. 2. quæst. 12. artic. 2. ad primum, & quæst. 60. articul. 5. ad 1. Cum magis oporteat obedire Deo, quàm hominibus; Lex igitur, quæ his omnibus numeris absoluta est, ęqua, & iusta dicenda est, ac proindè etiam obligatoria est censenda; & qui huiusmodi legi repugnaret, vel ne promulga-

mulgaretur in suo dominio, vel executioni demandaretur à subditis, impediret, vtique grauissimas pœnas, & apud Deũ, & supremũ Iudicem non effugeret.

Iàm verò hanc Pontificiam sententiam omnibus prænarratis honestissimis circumstantijs, ac iustissimis causis ornatam esse, iterum fusius probemus. Cum enim id fuerit etiam, atq; etiam confirmatum, præfatarum censurarum pœnas æquissimas fuisse, clarissimè apparebit: ac proinde nec rectè impediri posse, ne executioni demandentur.

Finis Summi Pontificis in ferendo censuras excommunicationis, & interdicti in Venetos quadruplex fuit, vt ex literis eius planè cognoscitur. Primus recuperatio, & conseruatio bonorum Ecclesiasticorum: potest enim Ecclesia condere legem, non solùm in his, quæ spectant ad cultum Dei, & ad infidelium subiectionem, sed etiam ad tuendum, & conseruandum res suas, & iura sua, vt definit D. Thom. 2. 2. quæstion. 10. articul. 10. & quodl. 2. articul. 8. Atque hunc finem honestissimum esse, immò etiam necessarium, docet idem D. Thom. 2.2. quæstion. 43. art. 8. his verbis: *Prælatis necessitas incumbit bona temporalia Ecclesiæ, quæ eis pro alijs commissa sunt, conseruare, defendere, atq; tueri*; atque huiusmodi defensionem propter scandalum ait non esse dimittendam, sicut nec alia, quæ sunt de necessitate salutis. Secundus finis fuit excitatio, & renouatio li-

bertatis Ecclesiasticę in Venetorum dominio grauissimè oppressę, & ferè iam extinctę; frequentius enim Veneti hoc vitio laborarunt, vt immunitati, & libertati Ecclesiasticę, quantum possent, detraherent, vt licet cognoscere ex literis Gregorij VII. lib. 4. Registri epist. 26. & 27. Atque hunc quoque finem rectissimum esse, docet Concil. Triden. sess. 25. cap. 20. in quo Principibus, & Magistratibus pręcipit, atq; decernit, sacros canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones in honorem Ecclesiasticarum personarum, & libertatis Ecclesiasticę, & cõtra eius violatores editas, omninò, & exactè ab eis, sicut etiam à quibuscunq; alijs obseruandas esse. Potissimum autem incumbit Summo Pontifici, vt etiam latis censuris huius decreti, sicut etiam & aliorum, necessaria executio ab omnibus, sine vlla exceptione, etiam Regibus, & Principibus in toto orbe Christiano fiat. Tertius finis fuit animarum salus, quam omninò perdunt, qui immunitati, & libertati Ecclesiasticæ derogant, & aduersantur: omnis enim lex tendit ad amicitiam, vel hominum adinuicem, vt præcipuè lex ciuilis; vel hominum ad Deum, vt præcipuè Ecclesiastica, vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 99. art. 1. ad 2. & art. 2. in corpore. Est hic finis omnium censurarum, nempè animarum salus, seu earum reuocatio ad statum salutis, vt habetur in Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de reformat. & in can. Multi corrigantur. 2. q. 1.

2.q.1. Qui canon desumptus est à D. Augustino in homil.1. de pœnit. cap. 12. & in can. Visis literis. 16.q.2. Vbi Ioannes Papa appellat excommunicationem fœlicem mucronem, & in can. Corripiantur. 24.q.3. sumpto à D. Augustino ex lib. de corrept. & grat. cap. 15. & in can. Notandum. ead. q. & caus. & in cap. Cum medicinalis. de sent. excommun. in 6. & in cap. Dilecto. eod. lib. & tit. Vbi Innocentius IV. apud Concil. Lugdunen. declarat, Prælatum, etiam contra potestates temporales, non solùm posse, sed etiam debere gladium excommunicationis, & cẽsurarum euaginare, ne sua negligentia, & conniuentia alienorum peccatorum particeps fiat. Sic Theodosio Imperatori lata contra illum excommunicatio ab Ambrosio, vt dictum est, beneficium pœnitentię, & salutis attulit, vt videre est in tripartita historia lib. 5. capit. 3. & apud Theodoretum lib. 5. cap. 15. & Ruffinum lib. 2. capit. 13. & Sozomenũ lib. 1. cap. 24. Quare rectè dixit Panormitanus in cap. Peruenit. de excess. prælat. nu. 4. excommunicationem non per modum pœnę, sed potissimum per modum medicinę dari, vt reus ad pœnitentiam, satisfactionem debitam, & reconciliationẽ Dei, & Ecclesiæ adducatur. Quartus finis, vt hoc malum exemplum in detrimentum Ecclesiæ, & perniciem animarum inductum, tanquam scandalum vniuersale, ab Ecclesia eliminetur: Ad hoc enim est positus Summus Pontifex in Christi Ecclesia supremus Præsul, &

Pastor,

Paſtor, & ſuper omnes gentes, & ſuper cuncta regna conſtitutus, vt non ſolùm plantet, & ędificet, ſed etiã vt euellat, diſſipet, deſtruat, & diſperdat, Ierem.1. ſcãdala ſcilicet, & prauas conſuetudines, è Regno Chriſti, quod eſt Eccleſia. In quo ſenſu dixit D. Hier. ſuper epiſtola ad Galat. cap. 5. ferè in principio. *Igitur & ſcintilla, ſtatim vt apparuerit, extinguenda eſt; & fermentum à maſſę vicinia ſemouendum; ſecandę ſunt putridę carnes, & ſcabioſum animal à caulis ouium repellendum; ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereat.* Quæ verba citantur in can. Reſecandę. 24. quæſt. 3. Qua etiam ſimilitudine vſus fuit D. Proſper in lib. 2. de vita contemplat. capit. 7. Vbi ſic ſcribit: *Qui diu portati, & ſalubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excõmunicationis abſcindi; ne ſicut caro morbis emortua, ſi abſciſſa non fuerit, ſalutem reliquę carnis putredinis ſua contagione corrumpit; ita iſti, qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus deprauatis in ſanctorum ſocietate permanſerint, eos exemplo ſuę perditionis inficiant.* Quæ verba habentur in can. Ecce autem. ead. cau. & quęſt. Id ipsũ Cic. dixit in 3. Phil. & in orat. cõtra Vanitiũ.

Conſtat igitur ex hactenus dictis, finẽ Summi Põtificis in latione huiuſmodi cenſurarum multis rationibus ęquiſſimũ eſſe, immò perneceſſariũ, tàm ex parte ſubditorũ, vt à peccatis reſipiſcãt, & eorũ ſpiritus ſaluus fiat; quã ẽt ex parte Sũmi Pontificis, qui humõi gra-

grauissima crimina ĩpunita dissimulare, vel permitte re nõ debat. Ita Cypr. ep. 65. & Tho. 2. 2. q. 43. art. 7.

Iustitiam verò causæ materialis in cẽsuris ex peccato, seu culpa petẽdã esse, capite secũdo ostẽdimus, vel ex mortali, vt in excoĩcatione, prout hẽtur Matth. 18. & in can. Nemo Episcoporũ. 11. q. 3. & ex D. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. ar. 1. quęstiu. 3. & ex alijs. Hoc itẽ peccatũ, inobediẽtię, vel formalis, vel materialis, cũ cõtumacia cõiũctę, esse dẽt, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 105. ar. 1. Caiet. 2. 2. q. 104. ar. 2. & Cou. ĩ c. Alma. 1. p. 5. 9. n. 3. In cęteris aũt cẽsuris graue peccatũ intercedere dẽre, asseruimus quoq; in interdicto quidẽ idẽ mortale, secũdùm sñtiã magis cõmunẽ; in suspẽsione verò ẽt ipsũ veniale, graue tñ. Veneti verò multis ab hinc annis sẽper libertati, & immunitati personarũ, bonorũq; Ecclesiasticorũ iniuriã irrogarũt, hęc vsurpãtes, & illas opprimẽtes, monitionesq; paternas nõ solũ vniuersales, sed ẽt speciales cõtẽpserũt, & prę sertim Pauli V. à quo crebro ipsi & per literas, & per publica monitoria specificè, ĩmò in ĩdiuiduo de hisce reb. moniti fuerũt. Quare cũ indiès eorũ inobediẽtia, & cõtumacia cresceret, meritò fulmine excoĩcationis percussi fuere. Et qm̃ ad prę scriptam eis diẽ à cõtumacia nõ discesserũt, meritò ac iure eorũ loca interdicto subiecta fuere. Sic Albert. Magn. in 4. sent. dist. 18. art. 18. quęst. 1. rectè ait: *Omnis contumax, in quantum contumax peccat, & debet excommunicari*, Adde tu, & alijs pęnis aggrauari.

Quinq;

Quinque autem casus peccati mortalis, & manifestæ iniustitiæ, ac notoriæ iniuriæ contra Deum, & Ecclesiam à Venetis irrogatæ in Monitorio Pontificio exponuntur, qui sigillatim nunc aperiendi sunt ad Pseudotheologorum illegitimam defensionem demõstrandam.

Primus est, quòd decretum fecerint, ne bona Ecclesiastica in emphiteosim laicis concessa possint cũ dominio vtili, etiam finita linea, regredi ad Ecclesias; nec vnquam possit dominium vtile cum directo consolidari. Quid hoc decreto iniustius? Quid iniquius? Quid libertati Ecclesiasticæ incommodius, & magis iniurium decerni poterat, cũ sacrilegium summum sit, iura Ecclesiarum, & piorum locorum opprimere, & vsurpare, vt dixit D. Thomas 2.2. quæst. 99. art. 3. & quæst. 154. art. 10. ad 3? Non ne laici res proprias in emphiteosim concedentes hoc legitimo, & iuridico commodo gaudent? Nunquid Ecclesia minori fauore digna est, quàm laicus; & Ecclesię bona, quę Dei bona peculiari ratione, oblationis nempè, & dedicationis dicuntur, in minori pretio, ac magis infima existimatione apud homines erunt, quàm bona sęculi? Nunquid leges canonicę, quæ ad conseruationem perpetuam bonorum Ecclesiasticorum, quod certè et in bonum commune Ciuitatis, & Reip. cedit, ne alienentur, vel in diuersas distrahantur hæreditates, & in varia dominia transferantur, sancitę sunt, à laicis abrogari

rogari poterunt? Neque ex zelo boni cõmunis, & vtilitate Reip. sed ex mera terrena concupiscentia, & auaritia detestabili huiusmodi oppugnatio procedit; cum ad bonum commune Reip. prȩsertim Christianȩ, spectet, religionis, & religiosorum commoda tueri, augere, & procurare. Quod etiã Respublicȩ Ethnicorum faciunt: has leges emphiteoticas etiam barbarȩ, & infideles nationes obseruant: illas tanquam antiquissimas, & vniuersalissimas Orbis totus amplectitur, exceptis modernis Venetis. Nonne dominium directum horum bonorum emphiteoticorum Christi, & Ecclesiȩ est? cur eis non vtile Dominium cedet in casibus à iure permissis? Nunquid huic iuri Ecclesiastico secularis potestas prȩiudicare poterit? si laicis bonis illi prȩiudicare non possunt, ne suo loco, & tempore reuertantur ad proprios laicos dominos; quomodo bonis, quȩ iam ab Ecclesia possidentur, id temerè, ac iniustè negabunt?

Secundus casus iniustitiæ, & peccati mortalis in monitorio enarratus, est, quod auctoritate laica decreuerunt, ne vllibi in toto eorum dominio absq; eorum licentia monasteria, Ecclesiæ, hospitalia, & alia pia loca fundentur, vel erigantur sub pȩnis exilij, priuationis bonorum &c. Hȩc lex iniqua est, & Deo iniuria, & legibus à pijssimo Constantino sancitis omninò contraria, qui per omnes mundi partes, atq; prouincias, diuino cultui fauens, decreto promulgauit, vt vbiq;

Ecclesię ędificarentur. Legimus 1. Reg. 2. peccatum puerorum, hoc est filiorũ Heli nimis grande corã Domino fuisse, quoniam retrahebant homines à sacrificio Domini. Nunquid igitur peccatum Venetorum impedientium homines ab Ecclesiarum ędificatione, vbi sacrificium sacrosanctum Eucharistiæ Deo offertur, nequaquam grauissimum erit? Quin etiã, quod iniquius, & iniustius est, fertur, illos decreuisse, vt Ecclesię, & monasteria absque eorum licentia ędificatę, & erectę dirui, ac vendi, in profanosque vsus conuerti queant. Quid hac lege magis impium? quid ea irreligiosius? quid ea profanius fingi, vel audiri potest? An non res Deo dicatę, & religiosę nullius in bonis sunt, vt dicitur in l. In tantum. ff. de rer. diuis. Vbi etiã scriptum est, quod semel æde sacra facta, etiam diruto ędificio, locus sacer manet. Hæc Imperatores pijssimi sanxerũt. Hæc homines ab huiusmodi insigni pietate longius abeuntes hodiè violant. Hæc minus religiosè frangunt, ac temerè inuertunt. Non licet hodiè nouas Iudęorũ Synagogas erigere sine iussu Principis, in fauorẽ vtiq; fidei Christianæ, vt hẽtur in C. tit. de Iudęis. l. Hac valitura. Licebit ne insuper hodiè in odiũ eiusdẽ fidei Ecclesias destruere, & nouas nõ ędificare?

Tertius casus est, quod nemo possit relinquere, vel vendere, vel quouis alio titulo cõcedere Ecclesię, vel personis Ecclesiasticis, ac locis pijs bona immobilia. Sacrilegum, & profanum decretum, per quod Christus

ſtus incapax declaratur ad bona immobilia recipienda, ac perpetuò retinenda in Venetorum dominio; quod enim Eccleſiæ relinquitur, Chriſto relinquitur. Iniuſtum præterea decretum, cum tot bona à pauperibus, & à ſacris perſonis, quę Deo vacant, auferantur; quę enim Eccleſijs relinquuntur, egenis, & religioſis uiris nutriendis deſtinantur. An non ſi legem conderent, ne pauperibus aliquid relinquatur, iniuſta illa eſſet? ſic qui prohibet, ne hoſpitalibus, & alijs pijs locis immobilia bona relinquantur, eandem iniuſtitię notam contrahunt. Poteſt ne poteſtas laica impedire, quin homo ſe Deo offerat, & cõſecret per ſacrorum ordinum ſuſceptionem, vel per aſſumptionem ſtatus religioſi, in eo profesſionem emittendo? nequaquam certè: igitur nec iuſtè impedire poterit ſuis ſtatutis, ne etiam perpetuæ oblationes bonorũ Deo fiant. Illud egit impijſſimus Valens Imperator, qui monachatui ſemper aduerſus, ad militiam monachos diſtrahere conabatur. Hoc nunc agunt illi, qui vota fidelium omnipotenti Deo directa impiè ad propria ſecularia commoda conuertunt. Reprehendit D. Gregorius lib. 2. Regiſtri epiſt. 60. Mauritium Imperatorem, qui iniquam legem condiderat, ne milites fieri poſſent religioſi; corrigantur & illi à Summo Põtifice, qui Deo eiuſque Eccleſię bona dicari, & offerri vetant. Pęnituit illũ facinoris, & legis iniuſtæ, cum fratrem, ac quinque filios, totamque ſuam proge

niem extinctam proprijs oculis aspexit; Quare in mortis articulo hęc verba protulit: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*. Caueant rei, ne & ipsimet in seipsos, suosque posteros, vniuersumque eorum dominium Dei vindictam ad proprium exterminium, & dissipationem prouocent. Meminerint diuinę maledictionis, quam Deus Ierem. 19. in Hierusalem ob spretam religionem protulit: *Et ponam Ciuitatem hanc in stuporem, & in sibilum: omnis, qui prę terierit per eam, obstupescet, & sibilabit super vniuersa plaga eius*. Et infra: *Sic conteram populum istum, & Ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari*, & quæ sequuntur.

Quartus casus iniustitię, ob quem censurę meritò in illos directę fuere, est, quia laicas manus violentas, & sacrilegas in personas Ecclesiasticas iniecerũt. Quę res quantoperè Deo displiceat, & Ecclesię contumeliosa sit, omnibus notum est, cum id sacris canonibus à toto orbe Christiano receptis palàm aduersetur.

Quintus casus est præiudicium maximum, quod auctoritati sedis Apostolicę per huiusmodi decreta inferunt, dùm immunitas Ecclesiastica opprimitur, & Ecclesię eorum priuilegijs spoliantur. Quæ omnia ex sui natura notoriam iniustitiam, & grauissimũ peccatum mortale important.

De iustitia causę formalis, & efficientis nihil hoc

loco

loco addendum est, cum superius abunde explicata fuerit, preterquam quod in casu Venetorum nulla mo nitio, nulla citatio necessariò requirebatur, cum ob causas in literis Papę expressas ipso iure, ac notorie iampridem excommunicati essent, immò in vnum, & viginti genera, seu species excommunicationum in bulla Cęnę Domini contentarum, ipso iure absque vlla alia monitione, repetitis vicibus iterum, atque iterum iam incurrissent: quas nos, cum ex parte sint similes nonnullis in monitorio comprehensis, hoc in loco, vt erubescant, & resipiscant, recensendas esse duximus: neque enim sapientes, ac prudentes, cordatos item, ac togatos viros hæc decent: Et

Primò incurrerunt Veneti (Ducem intelligo, ac Senatores, & eos omnes, qui Remp. gubernant) in censuras contra fautores, & receptatores hæreticorum, latas in primo canone Bullę Cęnę Domini; cum publicè Caluini doctrinam legi in Palatio Nuncij Regis Anglię, etiam patentibus ianuis, Venetijs permittant. Caueant de cętero ab Anglicano conuentu: est enim conuentus malignantium, & concilium impiorum.

Secundò in eandem censuram excommunicationis inciderunt omnes, & singuli, qui eidem lectioni, tanquam fautores, & defensores Caluinistice doctrinę astiterunt, & præsentes se exhibuerũt; quia hoc formaliter est hęresi fauere, & eam sua auctoritate fulcire: Hi in cathedra pestilentię sedẽt, & in via hæreticorum stantes, agunt contra eundem primum canonem prefatę bullæ.

Tertio,

Tertio, quoniam gabellas iniustas imposuerunt, & auxerunt, nec non ab Ecclesiasticis personis, absq; sedis Apostolicę licentia exegerunt, contra quintum canonem eiusdẽ bullę.

Quarto, quoniam participant cum Anglicanis hæreticis, significantes illis cursum rerum, quę in Rep. Christiana, & pręcipuè in statu Ecclesiastico agũtur; cui hac ratione graue damnum, & pręiudicium infertur, contra dictum primum canonem eiusdem bullę.

Quinto, quoniam perpetuò Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, pręter alios Clericos, & religiosos hostiliter insequuntur, ea pręcipuè ratione, quòd sacrorum conciliorum decreta, & Constitutiones Apostolicas circa materiam iurisdictionis Ecclesiasticę obseruandas esse, verbo, & exemplo doceant, contra vndecimum canonem eiusdem bullę Cœnę Domini.

Sexto, quoniã expulerũt pręnarratas personas Ecclesiasticas in terris eorum dominio subiectis à suis diœcesibus, territorijs, & locis ob easdem causas, agentes contra eundem canonem.

Septimo, quoniam varijs modis, ac sępissimè executionẽ monitoriorum, & literarum Apostolicarum contra canonem decimum tertium bullę Cœnę Domini impedierunt.

Octauo, quoniam impediunt eos, qui ad Papam ad impetrandas literas gratię, vel iustitiæ accedunt; & procurãt, ne impetratis vtantur, contra eundem canonem decimumtertium.

Nono, quiã compellunt personas Ecclesiasticas ad suum tribunal

bunal laicum accedere, contra canonem decimum quintum eiusdem bullę.

Decimo, quoniam passim cōdunt statuta, & ordinationes lędentes libertatem Ecclesiasticam, contra eundem canonem decimum quintum.

Undecimo, quia impediunt Prelatos, & Iudices Ecclesiasticos, ne sua iurisdictione Ecclesiastica utantur, contra canonem decimum sextum.

Duodecimo, quoniam audent sequestrare fructus, & redditus bonorum Ecclesiasticorum, monasteriorum, & aliorum piorum locorum, contra canonem decimumseptimum eiusdem bullæ.

Decimotertio, quoniam usurpant, & sibi propria auctoritate applicant fructus bonorum Ecclesiasticorum, contra eundem canonem decimum septimum.

Decimoquarto, quoniam imponunt gabellas personis Ecclesiasticis, etiam in eorum bonis Ecclesiasticis, contra canonem decimum octauum.

Decimoquinto, quoniam quotidiè molestant personas Ecclesiasticas, contra canonem decimum octauum.

Decimosexto, quoniam fabricant processus cōtra personas Ecclesiasticas, contra canonem decimononum.

Decimoseptimo, quoniam in easdem personas sententias proferunt, easque indicant sine speciali licentia sedis Apostolicę, contra eundem canonem.

Decimooctauo, quoniam huiusmodi personas Ecclesiasticas in exilium mittunt, & relegant, contra eundem canonem.

De-

Decimonono, quoniam occidunt, & morti tradunt personas Ecclesiasticas, contra eundem canonem.

Vigesimo, quoniam prætensa priuilegia, cum essent localia, ad oĩa dominia suæ iurisdictionis absq; expressa Papali auctoritate extenderũt, contra canonem eundem decimũnonũ.

Vigesimoprimo, quoniam hodie dùm cogũt sacerdotes in loco interdicto diuina celebrare, dumque per præcones faciunt euocari populũ ad illa audienda, inciderunt in nouam excoĩcationem in Concilio generali Viennensi publicatam, vt habetur in Clement. Grauis. de sent. excom.

In has censuras ipso facto Veneti, qui contra illas egerũt (bonos excipimus) iàm inciderant, & à iure excommunicati erant. At vbi quis excommunicatur pro facto, pro quo iam à iure excommunicatus erat, alia prę monitio vtiq; non est necessaria, cum de eius contumacia iàm constet, vt habetur in cap. Reprehensibilis. dè appellat. Idem in simili habetur in cap. Pro humani. de homic. in 6. & B. August. de Cain, & Abel agẽs ait: *Euidẽtia patrati sceleris nõ indiget clamore accusationis*. Et euidens notitia facti sententiæ locum tenet, vt rectè Bagnes 2. 2. quæst. 12. art. 2. Quamuis in monitorio sufficientes monitiones à Pontifice factę palàm habeantur, vt alibi dictum fuit. Hæ verò monitiones, vt etiam hoc adijciamus, à iure Canonico imperantur, cui Papa absolutè non est subiectus.

Constat igitur ex dictis iustitia, & validitas censurarum à Summo Pontifice in Venetos promulgatarum

rum, ac proindè illos obligatos esse ad earum obserua tionem in vtroq; foro.

His suppositis facile est cognoscere pęnas, quas incurrunt hi, qui publicationem, vel obseruationem interdicti impediunt. Illos enim in pęnam peccati mortalis primo loco incidere, clari iuris est, cum legi canonicę iustissimę irrationabiliter se opponant. Deindè Domini temporales, etiam si sint Episcopi, vt notauit gloss. in Clem. Grauis. de sent. excommun. impedientes, ne obseruetur interdictum, in quatuor casibus in eadem Clemen. expositis (qui omnes in facto Venetorũ concurrunt) puniũtur ipso facto pęna excõmunicationis Papę reseruata. Extenditur autem hæc pęna huius Clementinę ad quascunque personas interdicti obseruationem quomodolibet impedientes, vt ex ipsis illis verbis contextus patet: *Quiquemquam de cętero cogere &c.* vt optimè notauit Suarez disp. 22. sect. 4. §. Quarta censura. Atque id intelligendum est de impedimento quomodolibet procurato, ad eum effectum, ne huiusmodi interdictum obseruetur; quoniam omnis modus compulsionis realis, personalis, directus, vel indirectus in ea prohibitione cõprehenditur, vt verbi gratia, si res ipsorum occupẽtur, & eorum consanguinei in personis, vel rebus grauentur, vt ibidem glossa verb. quomodolibet, & similibus.

Cum autem certum sit ex cap. Is, qui de sent. excommun. in 6. & ex capit. Episcoporum. de priuileg.

in 6. celebrantes tempore interdicti, præter formam Iuris, fieri irregulares; dubitant aliqui, an hæc irregularitatis pęna extendatur etiam ad mandantes celebrari diuina, ac proindè impedientes interdictũ. Et quidem affirmat Maiolus lib. 3. de irregularit. capit. 20. num. 7. & cap. 23. num. 9. Negat tamen Suarez disput. 34. sect. 4. Cum in eotextu solùm agatur de celebrante, & in materia pęnali non sit admittenda extensio. Sed quidquid sit de irregularitate, certum est ex cap. Episcoporum supra cit. Celebrantes, & mandantes celebrari tẽpore interdicti, pręter alias, pęna quoque ingressus Ecclesię plecti, vt superius dictum est.

Pseudotheologi eo argumento putant se Venetis omninò persuadere, censuras latas meritò impediri posse, ne promulgentur, vel obseruationi demandentur, quòd ante publicationẽ scrutinio, ac examini Senatus, seu Magistratus supponendę sint, vt iudicetur, ac cognoscatur, sint nẽ illę iustę, vel iniustę, validę, vel inualidę, perturbationẽq; Reip. sint allaturę, nec ne: contineant ne itẽ errorem intolerabilẽ, & similia.

Verum hæc sunt refugia miserorum, & eorum, qui ab Ecclesię Romanę obedientia schismaticè recedere volunt, eiq; superbo tumore resistere student. Sic Cyprianus in epist. 65. agens de superba oppositione, qua Diaconi mãdatis proprij Episcopi resistebãt: *Hæc sunt enim, inquit, initia hæreticorum, & ortus, atque conatus schismaticorum malè cogitantium, vt sibi placeant,*

vt

vt præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacē Christi, & ordinationē, atq; vnitatem Dei rebellatur. Hæc ille. Et in epist.55. idem dixerat his verbis: *Neq; enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Hæc Cyprianus.

At, vt argumento aduersariorū respondeamus, nōne illud apud omnes Catholicos certissimum est, Summum Pontificem à nemine in terris iudicari posse? quod non solum quoad personā, sed ēt quoad cōstitutiones, præcepta, sententias intelligendū est; cū enim sit supremus Iudex, & Princeps totius Ecclesiæ, nec ab ullo Ecclesiastico Antistite, nec ab oībus Christianis Principibus simul iunctis, nec ab vllo fideliū neq; à Concilio generali iudicari potest, aut debet. Ita habetur in Conc. Roman. sub Syluestro, in quo interfuerunt 280. Episcopi, can. vlt. Vbi sic legitur, *Nemo enim iudicabit primā sedē, quoniā oēs sedes à prima sede iustitiā desiderāt tēperari: Neq; ab Augusto, neq; ab oī Clero, neq; à Regibus, neq; à populo iudex iudicabitur.* Quę verba retulit quoq; Nicolaus I. in ep. quę incipit, Proposueramus. ad Michaelē Imper. In qua ēt refert verba Cōcilij Sinuessani, videlicet. *Prima sedes à nemine iudicabitur.* Conciliū quoq; Chalc. in ep. ad Martianū, & Valētinianū Imperatores, & ī altera ad Leonem I. dicit, in eadem

Synodo multis de causis Dioscorum Episcopum Alexandrinum damnatũ fuisse, sed potissimum quod in primam sedem sententiam ferre pręsumpsisset. Cõcilium quoque Romanum sub Adriano II. cuius verba habentur in 8. Synod. act. 7. sic loquitur, *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Pręsulibus iudicasse legimus; de eo uerò quemquam iudicasse non legimus.* Alia Conciliorum testimonia afferri possent, sed hęc sufficiant. Gregorius Nazianzenus in orat. qua se excusat, quod ab Ecclesiasticis functionibus se tam diù abstinuerit, hęc aurea scribit verba: *Vos,* inquit, *oues nolite pascere pastores, neque super terminos eorum elemini. Satis enim est vobis si rectè pascimini, nolite iudicare iudices, nec leges feratis legislatoribus.* Hæc ille. Quid putas dixisset, si conspexisset, leges Summi Pontificis sperni, præcepta contemni, latas ab illo censuras impediri, flocci pendi, proscindi, & cũ iustissimę sint, tan quam nullas, & inualidas reijci? Hoc certè iniquissimum est, vt lex, & sententia Summi Præsulis, ac primi legislatoris graui maturitate, & prudentia ex Cathedra lata, venerabilium Cardinalium consilio approbata, non in materia rerum temporalium, sed in negotio spirituali, salutis animarum nempè, & grauissimi scandali in Dei Ecclesia oborti, à viris laicis terrena sapientibus examinetur, cribretur, & vẽtiletur, nec executioni demandetur, nisi eorum concupiscentiæ, & voluptati satisfaciat. Summa hæc est iniuria,

quæ

quæ Deo, ac principi Ecclesiæ irrogatur. *Honor ne Deo*, inquit Cyprianus epist. 55. *datur, quando Ecclesiastica cēsura cōtēnitur?* Hoc est, *Principē maledicere, eius præceptis, ac mandatis non obtemperare*; Atqui scriptum est: *Principem populi tui non maledices. Exod. 22. Act. 23.*

Non me fugit, Couarruuiam de pract. quęst. capit. 10. & 36. & Driedonem ab eo citatum, nec non Rebuffum in prax. benefic. 3. part. Signaturę in verb. Nec non iure patronatus. numer. 12. & 36. defendere nonnullas leges Principum secularium, statuentes in defensionē iuris patronatus Prīcipū, ne lit. Apost. executioni mandentur sine consensu eorum: non enim hę leges iustæ sunt, si fiāt sine participatione, & nutu Papæ, nec locum habent quando Papa expressè derogat iuri patronatus laicorum; Hoc enim si velit facere, potest, nec iniuriam, vel vim laicis infert, cum suo iure vtatur, licèt reipsa Papa huiusmodi laicorum iuri patronatus raro derogare intendat. Sic Pius V. expressè decreuit in Bulla Cœnę Domini anno M D L X V III. ab ipso promulgata, vbi excommunicat laicos, & clericos, qui secularium principum auctoritate aliquo modo prohibent, & impediunt executionē, & vsum literarum Apostolicarum, mandatorum, vel aliorum Ecclesiasticorum processuum, vel decretorum pertinentium ad gratiam, vel iustitiā, & eos, qui sui m ad id consilium, aut auxilium pręstant, etiam prætextu violentiæ tollendæ, vel alterius obtenti iuris, seu

etiam

etiam donec ipsi appellauerint ad Romanum Pontificem melius informandum, aut ipsi supplicauerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Romano Pontifice legitimè prosequantur. Ratio autem, cur nulla laica potestate, etiam regia, literæ Apostolicæ impediri possint, est, quoniam potestas secularium principum est ciuilis, & non spiritualis, & Ecclesiastica, quę cum illi dominetur, & pręsit, ab ea, cum sit inferior, nequaquã impediri, interpretari, vel discuti pőt: quod si de facto inferiores hoc agant, id non est à Deo; cũ cótra ordinem naturalẽ, & diuinũ sit, vt inferior iubeat, & imperium exerceat, vel habeat in superioré, & pręsertim supremum. Cõtra has iniquas leges, & irrationabilia decreta clamat Apost. dicens: *Quę à Deo sunt, ordinata sunt*: expressè significans, ea quę inordinata, vel contra rationem sunt, qualia sunt ea, quę potestatem laicam spirituali, dominari, statuunt; non esse à Deo sed à Diabolo. Illud autem remedium tanquam licitum ea in re adinuentum fuit, vt opponant de surreptione talium literarum apud Iudicem Ecclesiasticum, vel etiam quando Papa expressè derogat iuri patronatus, coram Iudice competenti Ecclesiastico, seruato tamen Iuris ordine, ad ipsum Romanum Pontificem reuerẽter appellent, & libellos supplices ei offerant ne literę pontificię exequantur, dummodo id faciant opera, & ministerio Iudicum Ecclesiasticorum, vt supradictum est, & postea verè appellationẽ iuxta

mentem

mentem [illegible] prosequuntur, & hoc solum forsan Principes [illegible] in suis illis legibus secularibus pręcipere [illegible], videlicet, vt cum omni reuerentia mens Pontificis ad iustitiam faciendam perquiratur.

An verò literę Apostolicę causas spirituales continentes possint à Principibus secularibus recognosci, & discuti, [illegible] surreptitię, quęri posset, & quidquid dicat Couar. [illegible] citat. certissimè dicendum est, hanc recognitionem iure communi tantum ad Iudices Ecclesiasticos pertinere, non autem ad laicos nisi ex solo priuilegio sedis Apostolicę, & consensu Romani Pontificis; tunc enim nõ auctoritate regia, imperatoria, vel ciuili Apostolicas literas discuterent, sed auctoritate Pontificis illis delegata, licèt de priuilegio Apostolico eis concesso, & eius tenore docere teneantur.

Temerarium verò immò erroneum, vel hæreticũ est, affirmare Summi Pontificis literas è Cathedra ad correctionem malorum, & violantium leges sacrorũ canonum, emanatas, à laicis uentilandas, & discutiendas esse, vt [illegible] quo prætextu non publicentur, & Populis [illegible] persuadeant huiusmodi literis non esse obtemperandum: Non ne præceptum est caritatis cũ Christiano iniunctũ, vt quis liberet in quantũ põt, à peccatis proximũ suum: Non [illegible] iusticia, ac debi[illegible] cõpetit Sũmo Põtifici, [illegible]

Ecclesię ędificarentur. Legimus 1. Reg. 2. peccatum puerorum, hoc est filiorũ Heli nimis grande corã Domino fuisse, quoniam retrahebant homines à sacrificio Domini. Nunquid igitur peccatum Venetorum impedientium homines ab Ecclesiarum ędificatione, vbi sacrificium sacrosanctum Eucharistiæ Deo offertur, nequaquam grauissimum erit? Quin etiã, quod iniquius, & iniustius est, fertur, illos decreuisse, vt Ecclesię, & monasteria absque eorum licentia ędificatę, & erectę dirui, ac vendi, in profanosque vsus conuerti queant. Quid hac lege magis impium? quid ea irreligiosius? quid ea profanius fingi, vel audiri potest? An non res Deo dicatę, & religiosę nullius in bonis sunt, vt dicitur in l. In tantum. ff. de rer. diuis. Vbi etiã scriptum est, quod semel æde sacra facta, etiam diruto ędificio, locus sacer manet. Hæc Imperatores pijssimi sanxerũt. Hæc homines ab huiusmodi insigni pietate longius abeuntes hodiè violant. Hæc minus religiosè frangunt, ac temerè inuertunt. Non licet hodiè nouas Iudęorũ Synagogas erigere sine iussu Principis, in fauorẽ vtiq; fidei Christianæ, vt hẽtur in C. tit. de Iudęis. l. Hac valitura. Licebit ne insuper hodiè in odiũ eiusdẽ fidei Ecclesias destruere, & nouas nõ ędificare?

Tertius casus est, quod nemo possit relinquere, vel vendere, vel quouis alio titulo cõcedere Ecclesię, vel personis Ecclesiasticis, ac locis pijs bona immobilia. Sacrilegum, & profanum decretum, per quod Christus

ſtus incapax declaratur ad bona immobilia recipienda, ac perpetuò retinenda in Venetorum dominio; quod enim Eccleſiæ relinquitur, Chriſto relinquitur. Iniuſtum prætereà decretum, cum tot bona à pauperibus, & à ſacris perſonis, quę Deo vacant, auferantur; quę enim Eccleſijs relinquuntur, egenis, & religioſis uiris nutriendis deſtinantur. An non ſi legem conderent, ne pauperibus aliquid relinquatur, iniuſta illa eſſet? ſic qui prohibet, ne hoſpitalibus, & alijs pijs locis immobilia bona relinquantur, eandem iniuſtitię notam contrahunt. Poteſt ne poteſtas laica impedire, quin homo ſe Deo offerat, & cõſecret per ſacrorum ordinum ſuſceptionem, vel per aſſumptionem ſtatus religioſi, in eo profesſionem emittendo? nequaquam certè: igitur nec iuſtè impedire poterit ſuis ſtatutis, ne etiam perpetuæ oblationes bonorũ Deo fiant. Illud egit impijſſimus Valens Imperator, qui monachatui ſemper aduerſus, ad militiam monachos diſtrahere conabatur. Hoc nunc agunt illi, qui vota fidelium omnipotenti Deo directa impiè ad propria ſecularia commoda conuertunt. Reprehendit D. Gregorius lib. 2. Regiſtri epiſt. 60. Mauritium Imperatorem, qui iniquam legem condiderat, ne milites fieri poſſent religioſi; corrigantur & illi à Summo Põtifice, qui Deo eiuſque Eccleſię bona dicari, & offerri vetant. Pęnituit illũ facinoris, & legis iniuſtæ, cum fratrem, ac quinque filios, totamque ſuam proge

niem extinctam proprijs oculis aspexit; Quare in mortis articulo hęc verba protulit: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Caueant rei, ne & ipsimet in seipsos, suosque posteros, vniuersumque eorum dominium Dei vindictam ad proprium exterminium, & dissipationem prouocent. Meminerint diuinę maledictionis, quam Deus Ierem. 19. in Hierusalem ob spretam religionem protulit: *Et ponam Ciuitatem hanc in stuporem, & in sibilum: omnis, qui pręterierit per eam, obstupescet, & sibilabit super vniuersa plaga eius.* Et infra: *Sic conteram populum istum, & Ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari*, & quæ sequuntur.

Quartus casus iniustitię, ob quem censurę meritò in illos directę fuere, est, quia laicas manus violentas, & sacrilegas in personas Ecclesiasticas iniecerũt. Quę res quantoperè Deo displiceat, & Ecclesię contumeliosa sit, omnibus notum est, cum id sacris canonibus à toto orbe Christiano receptis palàm aduersetur.

Quintus casus est præiudicium maximum, quod auctoritati sedis Apostolicę per huiusmodi decreta inferunt, dùm immunitas Ecclesiastica opprimitur, & Ecclesię eorum priuilegijs spoliantur. Quæ omnia ex sui natura notoriam iniustitiam, & grauissimũ peccatum mortale important.

De iustitia causę formalis, & efficientis nihil hoc loco

loco addendum est, cum superius abunde explicata fuerit, præterquam quod in casu Venetorum nulla mo nitio, nulla citatio necessario requirebatur, cum ob causas in literis Papę expressas ipso iure, ac notorie iampridem excommunicati essent, immo in vnum, & viginti genera, seu species excommunicationum in bulla Cęnę Domini contentarum, ipso iure absque vlla alia monitione, repetitis vicibus iterum, atque iterum iam incurrissent: quas nos, cum ex parte sint similes nonnullis in monitorio comprehensis, hoc in loco, vt erubescant, & resipiscant, recensendas esse duximus: neque enim sapientes, ac prudentes, cordatos item, ac togatos viros hæc decent: Et

Primo incurrerunt Veneti (Ducem intellige, ac Senatores, & eos omnes, qui Remp. gubernant) in censuras contra fautores, & receptatores hæreticorum, latas in primo canone Bullę Cænę Domini; cum publicè Caluini doctrinam legi in Palatio Nuncij Regis Anglię, etiam patentibus ianuis, Venetijs permittant. Caueant de cętero ab Anglicano conuentu: est enim conuentus malignantium, & concilium impiorum.

Secundo in eandem censuram excommunicationis inciderunt omnes, & singuli, qui eidem lectioni, tanquam fautores, & defensores Caluinistię doctrinę astiterunt, & præsentes se exhibuerūt; quia hoc formaliter est heresi fauere, & eam sua auctoritate fulcire: Hi in cathedra pestilentię sedēt, & in via hæreticorum stantes, agunt contra eundem primum canonem præfatę bullæ.

Tertio,

Tertio, quoniam gabellas iniustas imposuerunt, & auxerunt, nec non ab Ecclesiasticis personis, absq; sedis Apostolicę licentia exegerunt, contra quintum canonem eiusdē bullę.

Quarto, quoniam participant cum Anglicanis hæreticis, significantes illis cursum rerum, quę in Rep. Christiana, & precipuè in statu Ecclesiastico agūtur; cui hac ratione graue damnum, & pręiudicium infertur, contra dictum primum canonem eiusdem bullę.

Quinto, quoniam perpetuò Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, pręter alios Clericos, & religiosos hostiliter insequuntur, ea pręcipuè ratione, quòd sacrorum conciliorum decreta, & Constitutiones Apostolicas circa materiam iurisdictionis Ecclesiasticę obseruandas esse, verbo, & exemplo doceant, contra vndecimum canonem eiusdem bullę Cœnę Domini.

Sexto, quoniā expulerūt pręnarratas personas Ecclesiasticas in terris eorum dominio subiectis à suis diœcesibus, territorijs, & locis ob easdem causas, agentes contra eundem canonem.

Septimo, quoniam varijs modis, ac sępissimè executionē monitoriorum, & literarum Apostolicarum contra canonem decimum tertium bullę Cœnę Domini impedierunt.

Octauo, quoniam impediunt eos, qui ad Papam ad impetrandas literas gratię, vel iustitiæ accedunt; & procurāt, ne impetratis vtantur, contra eundem canonem decimum-tertium.

Nono, quià compellunt personas Ecclesiasticas ad suum tri-

bunal

bunal laicum accedere, contra canonem decimumquintum eiusdem bullę.

Decimo, quoniam passim cōdunt statuta, & ordinationes lędentes libertatem Ecclesiasticam, contra eundem canonem decimum quintum.

Vndecimo, quia impediunt Prælatos, & Iudices Ecclesiasticos, ne sua iurisdictione Ecclesiastica vtantur, contra canonem decimum sextum.

Duodecimo, quoniam audent sequestrare fructus, & redditus bonorum Ecclesiasticorum, monasteriorum, & aliorum piorum locorum, contra canonem decimumseptimum eiusdem bullæ.

Decimotertio, quoniam usurpant, & sibi propria auctoritate applicant fructus bonorum Ecclesiasticorum, contra eundem canonem decimum septimum.

Decimoquarto, quoniam imponunt gabellas personis Ecclesiasticis, etiam in eorum bonis Ecclesiasticis, contra canonem decimum octauum.

Decimoquinto, quoniam quotidiè molestant personas Ecclesiasticas, contra canonem decimum octauum.

Decimosexto, quoniam fabricant processus cōtra personas Ecclesiasticas, contra canonem decimononum.

Decimoseptimo, quoniam in easdem personas sententias proferunt, easque indicant sine speciali licentia sedis Apostolicę, contra eundem canonem.

Decimooctauo, quoniam huiusmodi personas Ecclesiasticas in exilium mittunt, & relegant, contra eundem canonem.

De-

Decimonono, quoniam occidunt, & morti tradunt personas Ecclesiasticas, contra eundem canonem.

Vigesimo, quoniam prætensa priuilegia, cum essent localia, ad oĩa dominia suæ iurisdictionis absq; expressa Papali auctoritate extenderũt, contra canonem eundem decimũnonũ.

Vigesimoprimo, quoniam hodiè dùm cogũt sacerdotes in loco interdicto diuina celebrare, dumque per præcones faciunt euocari populũ ad illa audienda, inciderunt in nouam excõicationem in Concilio generali Viennensi publicatam, vt habetur in Clement. Grauis. de sent. excom.

In has censuras ipso facto Veneti, qui contra illas egerũt (bonos excipimus) iàm inciderant, & à iure excommunicati erant. At vbi quis excommunicatur pro facto, pro quo iam à iure excommunicatus erat, alia prę monitio vtiq; non est necessaria, cum de eius contumacia iàm constet, vt habetur in cap. Reprehensibilis. de appellat. Idem in simili habetur in cap. Pro humani. de homic. in 6. & B. August. de Cain, & Abel agẽs ait: *Euidẽtia patrati sceleris nõ indiget clamore accusationis*. Et euidens notitia facti sententiæ locum tenet, vt rectè Bagnes 2. 2. quæst. 12. art. 2. Quamuis in monitorio sufficientes monitiones à Pontifice factę palàm habeantur, vt alibi dictum fuit. Hæ verò monitiones, vt etiam hoc adijciamus, à iure Canonico imperantur, cui Papa absolutè non est subiectus.

Constat igitur ex dictis iustitia, & validitas censurarum à Summo Pontifice in Venetos promulgatarum

rum

rum,ac proindè illos obligatos esse ad earum obseruationem in vtroq; foro.

His suppositis facile est cognoscere pęnas,quas incurrunt hi,qui publicationem,vel obseruationem interdicti impediunt. Illos enim in pęnam peccati mortalis primo loco incidere,clari iuris est,cum legi canonicę iustissimę irrationabiliter se opponant. Deindè Domini temporales, etiam si sint Episcopi, vt notauit gloss. in Clem. Grauis. de sent. excommun. impedientes,ne obseruetur interdictum, in quatuor casibus in eadem Clemen. expositis(qui omnes in facto Venetorũ concurrunt)puniũtur ipso facto pęna excõmunicationis Papę reseruata. Extenditur autem hæc pęna huius Clementinę ad quascunque personas interdicti obseruationem quomodolibet impedientes, vt ex ipsis illis verbis contextus patet: *Qui quemquam de cętero cogere &c.* vt optimè notauit Suarez disp.22. sect.4.§.Quarta censura. Atque id intelligendum est de impedimento quomodolibet procurato,ad eum effectum,ne huiusmodi interdictum obseruetur; quoniam omnis modus compulsionis realis, personalis, directus, vel indirectus in ea prohibitione cõprehenditur,vt verbi gratia,si res ipsorum occupētur, & eorum consanguinei in personis,vel rebus grauentur,vt ibidem glossa verb.quomodolibet, & similibus.

Cum autem certum sit ex cap. Is, qui.de sent. excommun.in 6. & ex capit. Episcoporum. de priuileg.

in 6. celebrantes tempore interdicti, præter formam Iuris, fieri irregulares; dubitant aliqui, an hæc irregularitatis pęna extendatur etiam ad mandantes celebrari diuina, ac proindè impedientes interdictũ. Et quidem affirmat Maiolus lib. 3. de irregularit. capit. 20. num. 7. & cap. 23. num. 9. Negat tamen Suarez disput. 34. sect. 4. Cum in eotextu solùm agatur de celebrante, & in materia pęnali non sit admittenda extensio. Sed quidquid sit de irregularitate, certum est ex cap. Episcoporum supra cit. Celebrantes, & mandantes celebrari tẽpore interdicti, pręter alias, pęna quoque ingressus Ecclesię plecti, vt superius dictum est.

Pseudotheologi eo argumento putant se Venetis omninò persuadere, censuras latas meritò impediri posse, ne promulgentur, vel obseruationi demandentur, quòd ante publicationẽ scrutinio, ac examini Senatus, seu Magistratus supponendę sint, vt iudicetur, ac cognoscatur, sint ńe illę iustę, vel iniustę, validę, vel inualidę, perturbationẽq; Reip. sint allaturę, necne: contineant ne itẽ errorem intolerabilẽ, & similia.

Verum hæc sunt refugia miserorum, & eorum, qui ab Ecclesię Romanę obedientia schismaticè recedere volunt, eiq; superbo tumore resistere student. Sic Cyprianus in epist. 65. agens de superba oppositione, qua Diaconi mãdatis proprij Episcopi resistebãt: *Hæc sunt enim*, inquit, *initia hæreticorum, & ortus, atque conatus schismaticorum male cogitantium, vt sibi placeant,*

vt

vt prępositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacē Christi, & ordinationē, atq; vnitatem Dei rebellatur. Hæc ille. Et in epist. 55. idem dixerat his verbis: *Neq; enim aliundè hæreses obortę sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Hæc Cyprianus.

At, vt argumento aduersariorū respondeamus, nō ne illud apud omnes Catholicos certissimum est, Summum Pontificem à nemine in terris iudicari posse; quod non solum quoad personā, sed ēt quoad cōstitutiones, pręcepta, sententias intelligendū est; cū enim sit supremus Iudex, & Princeps totius Ecclesię, nec ab ullo Ecclesiastico Antistite, nec ab oībus Christianis Principibus simul iunctis, nec ab vllo fideliū neq; à Concilio generali iudicari potest, aut debet. Ita habetur in Conc. Roman. sub Syluestro, in quo interfuerunt 280. Episcopi, can. vlt. Vbi sic legitur, *Nemo enim iudicabit primā sedē, quoniā oēs sedes à prima sede iustitiā desiderāt tēperari: Neq; ab Augusto, neq; ab oī Clero, neq; à Regibus, neq; à populo iudex iudicabitur.* Quę verba retulit quoq; Nicolaus I. in ep. quę incipit, Proposueramus. ad Michaelē Imper. In qua ēt refert verba Cōcilij Sinuessani, videlicet. *Prima sedes à nemine iudicabitur.* Conciliū quoq; Chalc. in ep. ad Martianū, & Valētinianū Imperatores, & ī altera ad Leonem I. dicit, in eadem

Synodo multis de causis Dioscorum Episcopum Alexandrinum damnatũ fuisse, sed potissimum quod in primam sedem sententiam ferre pręsumpsisset. Cõcilium quoque Romanum sub Adriano II. cuius verba habentur in 8. Synod. act. 7. sic loquitur, *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Pręsulibus iudicasse legimus; de eo uerò quemquam iudicasse non legimus.* Alia Conciliorum testimonia afferri possent, sed hęc sufficiant. Gregorius Nazianzenus in orat. qua se excusat, quod ab Ecclesiasticis functionibus se tam diù abstinuerit, hęc aurea scribit verba: *Vos*, inquit, *oues nolite pascere pastores, neque super terminos eorum eleuemini. Satis enim est vobis si rectè pascimini, nolite iudicare iudices, nec leges feratis legislatoribus.* Hæc ille. Quid putas dixisset, si conspexisset, leges Summi Pontificis sperni, præcepta contemni, latas ab illo censuras impediri, floccipendi, proscindi, & cũ iustissimę sint, tanquam nullas, & inualidas reijci? Hoc certè iniquissimum est, vt lex, & sententia Summi Præsulis, ac primi legislatoris graui maturitate, & prudentia ex Cathedra lata, venerabilium Cardinalium consilio approbata, non in materia rerum temporalium, sed in negotio spirituali, salutis animarum nempè, & grauissimi scandali in Dei Ecclesia oborti, à viris laicis terrena sapientibus examinetur, cribretur, & vẽtiletur, nec executioni demandetur, nisi eorum concupiscentiæ, & voluptati satisfaciat. Summa hæc est iniuria,

quæ

quæ Deo, ac principi Ecclesiæ irrogatur. *Honor n..* *Deo*, inquit Cyprianus epist. 55. *datur, quando Ecclesiastica cēsura cōtēnitur.* Hoc est, *Principē maledicere, eius preceptis, ac mandatis non obtemperare*; Atqui scriptum est: *Principem populi tui non maledices. Exod. 22. Act. 23.*

Non me fugit, Couarruuiam de pract. quęst. capit. 10. & 36. & Driedonem ab eo citatum, nec non Rebuffum in prax. benefic. 3. part. Signaturę in verb. Nec non iure patronatus. numer. 12. & 36. defendere nonnullas leges Principum secularium, statuentes in defensionē iuris patronatus Prīcipū, ne lit. Apost. executioni mandentur sine consensu eorum: non enim hę leges iustæ sunt, si fiāt sine participatione, & nutu Papæ, nec locum habent quando Papa expresse derogat iuri patronatus laicorum; Hoc enim si velit facere, potest, nec iniuriam, vel vim laicis infert, cum suo iure vtatur, licèt reipsa Papa huiusmodi laicorum iuri patronatus raro derogare intendat. Sic Pius V. expressè decreuit in Bulla Cęnę Domini anno M D L X V III. ab ipso promulgata, vbi excommunicat laicos, & clericos, qui secularium principum auctoritate aliquo modo prohibent, & impediunt executionē, & vsum litterarum Apostolicarum, mandatorum, vel aliorum Ecclesiasticorum processuum, vel decretorum pertinentium ad gratiam, vel iustitiā, & eos, qui sum ad id consilium, aut auxilium prçstant, etiam prætextu violentiæ tollendæ, vel alterius obtenti iuris, seu

etiam

etiam donec ipsi appellauerint ad Romanum Ponti ficem melius informandum, aut ipsi supplicauerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Romano Pontifice legitimè prosequantur. Ratio autem, cur nulla laica potestate, etiam regia, literæ Apostolicæ impediri possint, est, quoniam potestas secularium principum est ciuilis, & non spiritualis, & Ecclesiastica, quę cum illi dominetur, & pręsit, ab ea, cum sit inferior, nequaquā impediri, interpretari, vel discuti pōt: quod si de facto inferiores hoc agant, id non est à Deo; cū cōtra ordinem naturalē, & diuinū fit, vt inferior iubeat, & imperium exerceat, vel habeat in superiorē, & pręsertim supremum. Cōtra has iniquas leges, & irrationabilia decreta clamat Apost. dicens: *Quę à Deo sunt, ordinata sunt*: expressè significans, ea quę inordinata, vel contra rationem sunt, qualia sunt ea, quę potestatem laicam spirituali, dominari, statuunt; non esse à Deo sed à Diabolo. Illud autem remedium tanquam licitum ea in re adinuentum fuit, vt opponant de surreptione talium literarum apud Iudicem Ecclesiasticum, vel etiam quando Papa expressè derogat iuri patronatus, coram Iudice competenti Ecclesiastico, seruato tamen Iuris ordine, ad ipsum Romanum Ponti ficem reuerēter appellent, & libellos supplices ei offerant ne literę pontificię exequantur, dummodo id faciant opera, & ministerio Iudicum Ecclesiasticorum, vt supradictum est, & postea verè appellationē iuxta mentem

mentem Pij V. prosequantur, & hoc solum forsan Principes seculares in suis illis legibus secularibus precipere intendunt, videlicet, vt cum omni reuerentia mens Pontificis ad iustitiam faciendam perquiratur.

An verò literę Apostolicę causas spirituales continentes possint à Principibus secularibus recognosci, & discuti, sint ne falsę, vel surreptitię, quęri posset, & quidquid dicat Couar. loc. citat. certissimè dicendum est, hanc recognitionem iure communi tantum ad Iudices Ecclesiasticos pertinere, non autem ad laicos nisi ex solo priuilegio sedis Apostolicę, & consensu Romani Pontificis; tūc enī nō auctoritate regia, imperatoria, vel ciuili Apostolicas literas discuterent, sed auctoritate Pontificis illis delegata, licèt de priuilegio Apostolico eis concesso, & eius tenore docere teneantur.


Temerarium verò immò erroneum, vel hæreticū est, affirmare Summi Pontificis literas è Cathedra ad correctionem malorum, & violantium leges sacrorū canonum, emanatas, à laicis uentilandas, & discutiendas esse; vt hoc iniquo prætextu non publicentur, & Populis interim persuadeant huiusmodi literis non esse obtemperandum: Non ne præceptum est caritatis oī Christiano iniunctū, vt quis liberet in quantū pōt, à peccatis proximū suum: Non ne ex iustitia, ac debito cōpetit Sūmo Pōtifici, cęterisq; Pastoribus,

ribus, à faucibus dęmonis, à laqueis iniustitiæ, ab iniquis iuribus, & actionibus, Principes, Reges, singulosque Christianos laborantes reuocare? Sic Innocentius III. c. Nouit, extra de Iudic. altissimis verbis ait, *Cum enim non humanæ constitutioni, sed diuinæ potius innitamur; quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo; nullus qui sit sanę mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunq; mortali peccato corripere quemlibet Christianum: & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere. Sed forsan dicetur, quod aliter cum regibus, & aliter cum alijs est agendum. Cęterum scriptum nouimus in lege diuina: Ita magnum iudicabis, vt paruum, nec erit apud te acceptio personarũ*. Et D. Cyprianus, qui particularis Episcopus erat, in epist. 55. Hęc religiosissima scribit verba: *Quod ad hos attinet, conscientiæ nostræ conuenit, frater charissime, dare operam, ne quis culpa nostra de Ecclesia pereat; si autem quis vltro, & crimine suo perierit, & pęnitentiam agere, atq; ad Ecclesiam redire noluerit, nos in die iudicij inculpatos futuros, qui consulimus sanitati; illos solos in pęnis remansuros, qui noluerint consilij nostri salubritate sanari*. Hactenus ille. Hæc iusta necessitas impulit, & enixe coegit Summum Pontificem Paulum V. vt gladio excommunicationis vibrato, gladio quoq; interdicti Venetos, vt illos sanaret, percuteret. Sed de his satis.

CA-

CAPVT OCTAVVM.

Quænam commoda, vel incommoda oriantur in Ecclesia, ex obseruatione interdicti.



ILLVD certum est plura, maiora, ac potiora esse commoda, quàm incommoda, quæ ex interdicto proficiscuntur: quod intrepidè asserimus cõtra præfatos Pseudotheologos, qui, vt odibilem, & ingratam populis, reddant legẽ Põtificij interdicti, nonnulla mala pęnę, vel incommoda illis proponunt, quæ per accidens ex interdicto oriuntur; non considerantes, nec docentes bona, commoda, & emolumenta egregia, quæ per se ex illo emanant, dum pro loco, & tempore opportunè ab Ecclesia fertur. Est enim censura interdicti instituta ob maiorem vigorem Ecclesiasticę disciplinę, & vt fideles magis grauati interdicto, maiori quoque diligentia eius causam tollendam procurent, vt optimè docet Suarez. dist. 35. sect. 1. in princ. Hinc fit, vt hodie ex more Ecclesię interdictum feratur etiam post latas alias censuras, vt Rei duplici pęna contriti citius resipiscant. Adde eijciendam quidem esse ouem ex Ecclesia per Anathematis irrogationem, cùm peccatum pu-

blicum, vel notorium id exigit, vt cęteri timorem habeant, & nequaquam audeant talia facere. At quod eiectum est, non est negligendum, vel sinendum foris permanere, sed reducendum, iuxta pręceptum Ezechielis 34. Immò recolligenda est ouis alijs medijs, puta interdicto, & similibus, vt sic emendata in Ecclesię ouile restituatur: etenim, vt dixit Plato in lib. 9. de legibus rationem naturalem secutus, pęna legis alterum duorum facit, aut enim qui pęnas dedit, melior efficitur, aut minus malus; pręsertim si obstinatio, & pertinacia desit, rõne cuius, ex pęnis latis, homines sua culpa excęcantur, tradũtur in reprobum sensum, incorrigibiles, & deteriores indies euadunt. Exercent deindè fideles tempore interdicti summum actum obedientię erga Ecclesiam, cum bonis etiam spiritualibus priuari velint, vt reuerẽtiam, & obediẽtiam erga Ecclesiam, & Sedem Apostolicam demonstrent. Actum item defensionis Ecclesię, tanquã eius filij in interdicti obseruatione declarant; Qua in re & religiosissimos, fideles se ostendunt, & actum meritorium explicant, & si iusti sint, ac in Dei gratia, augumentum eius acquirunt, vt ex doctrina D. Thomæ, & Turrecrematæ, nec non aliorum doctorum, in capite secundo huius disputationis ostendimus: tunc enim non refugiunt sacramenta, sed potius venerantur illa, vt Turrecremata in simili docet in cano.

Superueniente 1. quæst. 1. Vbi dat regulam generalem, quòd quicunq; accedit ad sacramentum Eucharistiæ sumendum contra Ecclesiæ ordinationem, non licitè accedit, sed peccat per inobedientiam. Quare rectè. 1. Reg. 15. Samuel ad Saul dixit, cùm contra diuinum præceptum seruasset aliquid ex spolijs inimicorum, vt Deo offerret. *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quàm victimę: & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatũ ariolãdi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Vndè qui temerè extra casus à iure permissos tempore interdicti reciperet sacramenta, fructum sacramenti non reciperet, & grauissimè peccaret. Quo sensu, eodẽ loco inquit Turrecremata ex doctrina D. Thomæ, quod quãuis sacramentum virtutẽ suã non amittat, tamen in eo; qui indignè accedit contra obedientiam Ecclesiæ faciens, effectum non habet, quod intellige quantum ad fructum. Præterea quoniam summa irrogatur Christo, & sacramento iniuria, dum contra ritum, & pręceptum Ecclesiæ quis accedit. Quare Oseę. 9. exclamat Propheta. *Sacrificia eorum, quasi panis lugentium. omnes, qui comedent eum contaminabuntur.* Quæ est ratio. D. Thomę. 3. part. quæst. 83. art. 3. ad vlt. Nec circa hanc rem plura verba faciẽda sunt, cum res ipsa per se notissima sit. Quocirca rectè in Clem. 1. de sent. excom. bona interdicti,

illis verbis, significantur. *Non absque damno Cathedralium, & parochialium Ecclesiarum, & scandalo plurimorum, dirũpẽdo neruũ Ecclesiasticę disciplinę, generalia locorũ interdicta præsũptione dãnabili, violare præsumũt.* Hic tria bona, in obseruatione interdicti, indicantur. Neruus disciplinę; euitatio scandali vniuersalis, & iniurię Ecclesiarum. Per accidens tamen nonnulla incommoda, etiam spiritualia, fidelibus interdicto locali, vel personali suppositis, cõtingere, nõ est negãdum; quę tamen non pręponderant commodis, & emolumentis spiritualibus, quæ ex eius obseruatione emanant, vt dictum est; cùm bonum commune Ecclesiæ, præualere debeat bonis particularibus. Verum vt minora incommoda fideles in spiritualibus patiantur, benigne eorum commodis Ecclesia prospiciens strictiora, & seueriora illa vincula, quibus interdicto olim fideles ligabantur, aliquantulo mitius relaxauit; non quidem auferens interdicti censuram, sed moderando, & temperando eius modos, & effectus ad consolationem fidelium. Hinc in cap. Alma Mater. dicitur, quòd ex districtione statutorum antiquorum interdicti, (quod intelligendum est non quidem ex se, sed per accidens, supposita malitia hominum) excrescit indeuotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac Ecclesijs sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur. Et in extrauag. Prouide. de sent. excommun. non prohibetur interdictum, sed

coer-

coerceetur nimia Episcoporum, & Iudicum liberalitas in concedendo interdicto, & prohibetur, ne pro debito soluendo ab ordinarijs interdictum feratur; quandoquidem interdicti tempore diuina organa suspenduntur, & laudes, nec Ecclesiastica sacramenta administrantur, vt solent &c. itaque larga hæc licentia inibi prohibetur, quoniam re vera, nisi interdictum temperatè, & raro ponatur, vt pro eorum insigni prudentia consueuerunt facere Summi Pontifices nõ pauca ex eo incommoda spiritualia populis afferuntur; sed hoc est per accidens, vt dictũ est, & indirectè; interdictũ enĩ legitimè positũ est res Ecclesię gubernationi non solum vtilis, sed necessaria, vt optime dixit Soto. in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. conclus. 1. Si ergo ex se eius vsus est Ecclesiæ necessarius, vtique ex sui natura, & ex intentione ferentis vtilis, & fructuosus erit. Sed obseruandum est incommoda, quæ narrat Bonifatius VIII. in cap. Alma. ex districtiori illo antiqui interdicti modo oriunda esse, & tunc, cum olim tam seuerè sacramentorum administratio, diuinorumq; officiorum celebratio prohiberetur, locum aliquem habuisse: nunc verò vbi rigor ille laxatus est, ex interdicti promulgatione, nec hæreses, nec populorum indeuotiones timendę sunt, nisi ex affectata subditorum malitia hæc mala procurentur, & suscitentur. conceditur enim etiam sanis, contritis tamen, pœnitentię sacramenti quotidiana administratio, necnon diuinorum

officiorum,

officiorum , sub certa quadam forma in cap. Alma prȩscripta, celebratio: Necnon vltra viaticum iurȩ antiquo morientibus concessum, vsus quoque Eucharistiæ laicis , & Clericis non celebrantibus: In illis Saltem quatuor festiuitatibus , in quibus relaxatur, vel suspenditur interdictum , & prȩcipuè in die Paschatis. Ita piè, ac probabiliter cēset Suarez. disp. 33. sect. 1. §. Inter has sententias. Quamuis Nauar. cap. 27. num. 178. Toletus. in Sum. lib. 1. cap. 18. & alij contrarium sentiant: cui enim conceditur facultas assistendi sacrificio missȩ, conceditur quoque , vt de illo non solum spiritualiter, sed etiam sacramentaliter participare possit, nisi expresse denegetur , vt altari appropinquet, vel de illo participet. In hac tamē re, praxis, & consuetudo Ecclesiæ seruanda est. Addit vnum Soto in concl. 3. quod maior, & grauior causa ad interdicēdū requiritur, quàm ad excoīcandū, cū ad excoīcandum particularis causa requiratur (fertur enim excommunicatio contra singularem personam) ad interdicendum vero delictum vniuersitatis , vel etiam Domini Terrȩ, vel loci , vt dicitur in cap. Non est vobis. de sponsalibus ; & ita Innoc. & Hostien. scribunt super cap. Quȩsiuit. de ijs, quȩ fiūt à maiori parte capituli ; Quæ doctrina intȩlligenda est de interdicto generali, non autem personali, vel speciali. Affe runt Pseudotheologi verba Soti. ī 4. dist. 22. q. 3. ar. 1. §. *Immo interdictum , quamuis ex vna parte ad terrorem*

excom-

excommunicatorum conducat, ex altera tamen in periculum diuini cultus vergit, potissimum, si sit prolixum: nam tunc non solum populus desuetudine frequentandi diuina officia, affectum eorum, & sensum perdit; verum etiam & clerus ipse remissior fit, & ignauior ad eadem diuina celebranda. Qua vtique ratione, & diuina religio detrimentum patitur, & populus solet in moribus syluescere. Hæc ille, cuius verba locum non habent in interdicto breui, vel à pauco tempore lato (sic enim nunquam liceret fulminare interdictum) sed in diuturno, & longissimo; & hoc non per se, sed per accidens. Vnde idem Soto in solut. ad 2. in calce eiusdem art. 1. sic scribit: *Ad secundum vero respondetur, quod et si aliqua detrimenta ex interdicto sequantur in diuino cultu, & deuotione populi, recompensantur tamen per necessitatem defendendi auctoritatem Ecclesiasticam.* Quod etiam repetit in solut. ad primum ar. 2. eiusd. q. 3. his verbis. *Ad capitale igitur argumentum respondetur, quod quamquam diuina officia, et potissimum missarum solemnia, sint de iure diuino; tamen singulis diebus celebrare, aut singulis mensibus, non tam strictũ ius est, quin possit Ecclesia, quando ratio poposcerit, ad asserendam suam auctoritatem, quæ etiam est de iure diuino, in tempus organa sua suspendere.* Hęc ait, de diuinorum Cessatione, quę est similis interdicto: & ibid. in cōc. 2. *ait, quos rebelles Ecclesia iure, & ordine vincere, & cogere nequit, saltē tā ingēti doloris sensu exterret.* c. ll. n. illa, *vnicū sāmen ad repellēdas iniurias Ecclesijs illatas.* Clem. 1. de sen. exc.

Huc

Huc accedat, medicinam, quæ semper corpori, tãquam salutaris, applicatur, non afferre sanitatem, nisi cum nonnulla, immò interdum magna totius corporis molestia, & afflictione. Sed hęc clarissima sunt, nec ampliori probatione indigent.

Illud vltimo loc. repetendum est, vt grauitas censurę Ecclesiasticę intelligatur, neminem posse tempore interdicti, exceptis casibus in iure expressis, ad sacramentum Eucharistiæ suscipiendum accedere sine graui peccato mortali. Accederent enim cum consciẽtia peccati mortalis, pręcepto iusto Ecclesiæ non obtemperantes. Tunc quippe sibi iudicium manducarent, & biberent, non diiudicantes corpus Domini. Sancta enim, vt admonet Concilium Tridentinum sess. 13. c. 7. Sanctè tractanda sunt, & maxime illud sacramentum, quod omnium sanctissimum est, sanctissimè tractandum est; Indignissime autem cum eo sacramento agit, qui in iniuriam Summi Pontificis, in despectionem clauium, in Christi, & Ecclesiæ contemptum, absque sufficienti pęnitentia illud sumere pręsumit. Est hæc communio Christo iniuriosa, Ecclesię contumeliosa, suscipienti damnosa, sacrilega, & perniciosa, dicente Paulo; *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Duo autem peccata committit, qui sic excommunicatus, vel interdictus accedit; alterum, quia exercet actum prohibitum; alterum, quia indigne communicat; neque enim potest

huiusmodi

huiusmodi homo,nisi indigne accedere, cum duplici malitia pluribus circũstantijs iniquis affecta; cũ non solum facit,quod non debet;sed etiam eo modo, quo non debet; de qua re vide Suarez. tom. 5. disput. 36. sect. 1. De incõmodis interdicti legendus est idẽ Suarez disp. eadẽ, sect. 3. §. Respondetur. vbi sic habet. *Respondetur, quando interdictum fertur, vt recedatur à contumacia esse, non solum iustum, verùm etiam valde expediens; dummodo ex causa legitima, & proportionata, & prudenti, ac moderato modo fiat: quia est medium efficax ad reprimendum inobedientes Ecclesię, & ad defendendam Ecclesiæ authoritatem, & potestatem. Nec refert, quod aliqua incommoda sequantur, quia non sunt substantialia, sed accidentalia, & propter maius bonum permitti possunt: nulla enim ferè est medicinalis pęna, quę non afferat aliquod detrimentum; toleratur tamen propter vtilitatem medicinę. Nec enim obstat, quod grauamen huius pęnę interdum redundet in innocentes; tum quia satis est, quod sint partes illius communitatis, cui aliquo modo attribuitur delictum, propter quod fertur interdictum; tum maxime quia, cum Ecclesia præcipue ferre soleat hanc censuram propter suam authoritatem, & dignitatem tuendam, mirum non est, quod interdum permittat priuata incommoda propter hoc bonum commune, quod maius est.* Hactenus ille, & bene, quod etiam nos pauloantea indicauimus. Quid enim aliud esse censuras existimandum est, præter munitissima quędam Ecclesiæ Catholicæ propugnacula, quorum beneficio

neficio nefarij furiosorum hominum conatus arceantur? Præter vincula, quorum arctissimis nodis audaces, atque impudentes diuinarum, humanarumq; legum contemptores, quousq; scelerata consilia deposuerint, atq; ad saniorem mẽtem redierint, constricti teneantur? Prętter instructissima quędam tormenta, quibus insanę hęreticorũ, & schismaticorum conspirationes disijciuntur, dogmata conuelluntur, euertitur impietas? Præter fulmina, quibus tangi de cęlo quotidie videmus fędissima nõnulla Christianę Reipublicę monstra, quæ iussis Summorum Pontificum spretis, religione, sacrisque conculcatis, bella olim à Gygantibus illata cęlitibus, per summam impietatem renouare conantur? Hisce armauit Ecclesiam telis, hisce vallauit pręsidijs Ecclesiæ parens, atque auctor Christus, cum eam proprio nobilitasset cruore, sacramentorum firmasset opibus, legibus temperasset æquissimis; quibus omnibus ad improborum animos coercendos, sicubi fortè ab officij rectitudine deflexissent, eam constat insitam esse vim, vt nihil grauius, nihil tristius, nihil excogitari possit horribilius. Quarè quos bonorum direptiones, apertissima vitę discrimina, coniurationes, exilia, cruciatusque omnes intentati retrahere ab incępto non potuerunt, vna eos facile perdomuit, fregitque censura. Neque id mirum videri debet; quid enim homini gratius esse potest, aut iucundius,

dius, quàm inter homines familiariter degere, amice salutari, conuiuari cum ęqualibus, habere, qui cum tuto, vbi libuerit, confabulere, qui cum ioca, seriaque communices? at hæc omnia, si contumax esse perrexeris, vna extemplo euertet excommunicationis, & interdicti procella, veteres dilabentur familiares, conspectum vitabunt, atque execrabuntur omnes; solitudinis tędio, conscientię stimulis, luctu, mœrore contabesces. Nec verò incongrue assimilari dixerim interdictum obnubilationi, caligini, seu nubilo cuidam obtenebranti, vt inquit Soto in 4. distin. 22. q. 3. art. 1. conclus. 3. vel potius dixerim eclipsi solis; sicut enim illud orbis totius lumen primum, tunc necessariò, & minus libere suos ad nos radios effundit, & minus liberaliter, nec sine magno mortalium incommodo in hęc inferiora influit, cum quasi lumini tanto inuideat luna, suam ei opacitatem opponit: sic cunctorum fidelium mater Ecclesia, cum sibi subditos experitur per inobedientiam aduersos, ac si nube offenderetur opaca, in tanti criminis pęnam, & gratiarum suarum influxus retrahit, & sacrificiorum, rituumque splendores subtrahit, lucidamque diem tenebrosam vertit in noctem. Et quidem si Christo patiente contenebratus orbis, vt cum Tertulliano loquar, lugubre fecit officiũ, cęliq; per-buam rubicunda facies, vt non potuit non pauere, teste Bernardo, sic quantocyus expallere debuit,

ac vt B. Cyrillus Hierosolymitanus dicit, ad tanti Iudæorum sceleris aspectum tremens deficere; Meritò ad suorum inobedientiam, siue lugendam, siue detestandam, suis se per interdictum orbare luminibus cōsueuit Ecclesia, & iuxta Ezechielis 32. vaticinium, cum filios peccati gladio extinctos videt, operit cęlos, nigrescere facit stellas eius, solem nube tegit, lunę negat lumen, omnia luminaria cęli męrore afficit super eos. Est quidem tempus interdicti tempus fletus, lachrymarū, & luctus; Rachel enī, hoc est, Ecclesia, plorat filios suos, & nō vult cōsolari, ni resipiscāt.

Prouocat Isaias in capit. 23. naues maris, remiges, insularūque habitatores ad vlulandum super filiam maris, Tyrum nempè, his verbis. *Vlulate naues maris, quia vastata est domus, vnde venire consueuerant; vlulate, qui habitatis in insula, nunquid non vestra hęc est, quæ gloriabatur à diebus pristinis in antiquitate sua?* & iterum. *Vlulate naues maris, quia deuastata est fortitudo vestra* constantissimę obedientię erga Principē Ecclesiasticum. *Quis cogitasset hoc de te filia maris? nonne quondā coronata eras, & gloriabaris? nonne negotiatores tui Principes, institores eius inclyti terrę? At Dominus exercituū cogitauit hoc, vt detraheret superbiā cūs gloriæ, & ad ignominiam deduceret vniuersos inclytos terrę.* Sic ille deplorauit desperatā Tyri salutē. Siccine erit eorū deplorādus status, qui habitant in introitu maris? Absit: infirmitas enim hæc, vt speramus, diutius non erit ad mortem,


cum

cùm huiusmodi tribulatio, & contristatio resipiscentibus sit futura ad pęnitentiam, quę est finis, ob quem censura interdicti imponitur. O vtinā hic luctus in gaudium conuertatur, tristitia in consolationem, męror in hilaritatem, & dies lachrymarum in dies pacis, epularum, atq; lętitię. Hester. 9. pacem enim Insulę expectant, naues maris tranquillitatē, remiges cęli, & aeris serenitatē. Admiratus fuit Ezechiel cap. 26. repentinum casum Tyri his verbis loquens ad Principes maris, *Attoniti super repentino casu tuo admirabuntur, & assumentes super te lamentum, dicent tibi: Quomodo periisti, quę habitas in mari, Vrbs inclita, quę fuisti fortis in mari, cum habitatoribus tuis, quos formidabant vniuersi? Nunc stupebunt naues in die pauoris tui, & turbabuntur insulę in mari, eo quod nullus egrediatur ex te* ad resipiscendum. Sic Christiani Reges, ac pijssimi Principes Ciuitati interdictę loquuntur: ita rursum Vrbem illam, quæ habitat in mari, admonent, nisi conuertatur, & ad veritatem redeat. *Naues maris, Principes tui; in negotiatione tua: & repleta es, & glorificata nimis in corde maris. in aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus Auster*, (falsarum doctrinarum, & vanissimę libertatis) *contriuit te in corde maris*, Ezechie. 27. Occasionem vero huius tantę ruinę, otium, & affluentiam diuitiarum fuisse, ostendunt his subsequentibus verbis: *Diuitię tuę, & thesauri tui, & multiplex instrumentum tuum, nautę tui, & guber na-*

bernatores tui, qui tenebant supellectilem tuam, & Populo tuo praeerant: uiri quoque bellatores tui, qui erant in te, cum vniuersa multitudine tua, quę est in medio tui: cadent in corde maris ī die ruinę tuę. Magnitudo verò ruinę sic describitur: *A sonitu clamoris gubernatorum tuorū conturbabuntur classes: & descendent de nauibus suis omnes, qui tenebant remum: nautę, & uniuersi gubernatores maris in terra stabunt: & eiulabunt super te voce magna, & clamabunt amare: & superiacient puluerem capitibus suis, & cinere conspergentur.* Vtinam hęc omnia Deus auertat, vt glorificetur nomen Dei in medio eorum, & sciant, illos tunc Dominum sanctificaturos esse, si pacem, & veritatem dilexerint.

CAPVT NONVM.

Respondetur nonnullis Pseudotheologorum falsis argumentis contra interdictum Pontificium confictis.



SEVDOTHEOLOGI octo præcipue argumentis (cętera enim, vel leuia sunt, vel ad hæc reducuntur) conantur persuadere Clarissimis Venetis, interdictũ Pontificium iure ab illis impeditum fuisse: quibus etsi sufficienter in pręcedentibus capitulis huius secundę disputationis satisfactum sit, nihilominus sigillatim in hoc capite nobis placuit respondere, vt vnusquisque ad illa confutanda breuem, promptam, atque paratam responsionem habeat: liquidoque Veneti cognoscant, huiusmodi Pseudotheologos audiendos non esse, sed tanquam falsarios, deceptores, delusores, necnõ mendaciorum, & errorum doctores omninò respuendos, ac reijciendos.

Pri-

PRIMVM ARGVMENTVM.

INterdictum neque Venetijs, nec in dominio Venetorum de facto publicatum fuit: Ergo ad eius obseruationem populi in huiusmodi dominio existentes non obligantur.

RESPONSIO

QVamuis huic argumento iàm responsum sit, breuiter tamen dicimus, legem, & pręceptũ Pontificiũ, adhoc vt liget, & arctet oẽs Christianos, ad quos dirigitur, satis esse, si Romę, & apud sedem Apostolicam publicatum, & promulgatum sit. Nec necessarium est, cum constitutio Pontificia solemniter editur, aut publicè promulgatur, adhoc vt obliget subditos, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, aut literas inculcare; Sed ad obligationẽ obseruationis sufficit ea notitia, qua quis nouit eã soléniter editã, aut publicè promulgatã. Ita Innocẽtius III. declarauit circa sentẽtiã ĩterdicti per Cardinalem sedis Apostolicę Legatum promulgatam in Regno Francię in capit. Ad hęc. de postulat. Prælat. Cum enim Episcopus Altisiodorensis ab interdicti Apostolici obseruatione se excusaret, quod illud ei intimatum, & significatum non fuisset. Respondet Papa, id non sufficere, immò nec proficere ad ex-

cusationem

cusationem prędicti Episcopi, cum Cardinalis senten tiam interdicti præsentibus multis solemniter, ac publicè promulgasset; & eadem interdicti sententia in Regno Francorum iam à multis publicè cępisset obseruari: nec esse necessarium, cum constitutio solemniter editur, aut publicè promulgatur, ipsius notitiā singulorum auribus per speciale mandatum, vel literas inculcare: sed id solùm sufficere, vt ad eius obseruantiam teneatur, qui nouerit eam solemniter editā, aut publicè promulgatam. Et idem definit D. Thomas 1.2.quæst.90.artic.4.vbi ait, quòd ipsa tantum promulgatio necessariò requiritur adhoc, vt lex habeat suam uim obligandi; & rationem assignat, quoniam tunc lex ita homini applicatur, vt ex ipsa promulgatione in notitiam eius deducatur: itaque sufficit illa notitia ad inducendam obligationem, quam ipsa legis promulgatio parit, & efficit. argum. Textus in can. Quod dicitis. 16. distin. Nemo enim pręsumitur ignorare ea, quę publicè facta sunt, can. Qui & diuinis 12.quęst.2. can. Licet. 11.quæst.3.cap. Cognoscentes. de constitutionib. & ibi gloss. in verb. ante prohibitionem; Ita quoque sentit Soto lib.1. de iustit. & iure q.1.art.4.& Panormit. in citat. capit. Cognoscentes. & Ioan. Andr. super illa verba lib.6. Data Romę. & alij. Vnde Canonistę cum eodem Ioan. Andrea, optimè dicunt, Pontificem Summum plumbeos habere pedes, quibus discurrere nequit. Atque

hac eadem ratione omnia concilia generalia, & præsertim Tridentinum, tunc primũ oẽs Christianos obligare necessario asserendum est quantũ ad decreta cõcernentia ius positiuum, & reformationes morum cũ à Papa publicantur, & promulgantur, nec alia Principum, vel Regum publicatio necessario requiritur ad eorum obseruationẽ: decretum autem Concilij Tridẽtini de irritandis Clandestinis matrimonijs, prçter præfatam publicationem apud Sedem Apostolicã factã, requirit ét necessario, vt suum robur obtineat, ex eiusdem Concilij prçcepto, aliam specialẽ publicationem in vna quaq; parochia in partibus faciendã, prout in eo disponitur, quç publicatio quousq; in parochijs prçfatis nõ fiat, huiusmodi matrimonia irrita nõ cẽsentur; nõ quia Conciliũ in illis partibus non sit promulgatum, hoc enim necessariũ nõ est: Sed ob defectum specialis publicationis, quç in eo casu ab eodẽ Concilio decernitur. Qua in re Pseudotheologi iterum decepti fuere. Igitur cum notissimum sit per totũ iàm ferè orbem, dominiũ Venetorũ interdicto Pontificio suppositũ esse, vt de se patet, nulla eorùm excusatio tàm iuris, quàm facti admitti potest, ad hoc quod prçfata censura eos nõ afficiat: Sufficit enim, quod ad eorũ notitiã quomodolibet, ét per publicã vocẽ, & famã peruenerit, dominiũ Venetorũ fuisse interdictũ, ét si ab Episcopo loci, vel eius Vicario, vel alio, de facto literç inte[illegible]cti non fuerint affixç, vel publicatç.

Ita ēt habetur in cap. Cum desideres 5. Secundę quęstioni. extra. de sent. excom. Addit glossa verb. publicę. cap. 1. de postulat. pręlat. si dubitaretur de interdicto, quia solūmodo per famā quis intellexit, *In tali dubio debet quis potius seruare sententiā interdicti, quā sacramēta Ecclesię ministrare, per cap. Illud. de Cleric. excom. ministrant.* Huc accedat, quòd Veneti à principio publicationē interdicti sciuerunt, quod cōstat ex literis Senatus, & Ducis editis cōtra obseruationē huiusmodi interdicti; nec non per literas oratorū, atq; aliorū Pręlatorū dominij Veneti, qui aderāt Romę tēpore publicationis huiusmodi interdicti; atq; ēt hodiè sciunt, cū id notoriū sit, & cęlo, mari, ac terrę notissimū. Ille aūt qui scit, certiorari nō debet, iuxta regul. iuris in 6. Ex qua regula benè colligit glossa, quod vbi datur scientia, & certitudo, ibi denunciatio nō est necessaria. Lege Syluest. verb. lex. q. 6. vbi dicit, sic seruari in practica, nēpè quod promulgatio facta Romę solùm sufficit ad obligationē legis quod ēt tenere Summā Ros. affirmat. Ad extremum non ignorant Pseudotheologi, huiusmodi interdictum etiam in aliquibus locis dominij Veneti non semel affixum, & publicatum fuisse. Ex quibus factis conuincitur, non solùm Venetos interdictum non ignorasse, sed etiam plenam eius notitiam habuisse, cum eos, qui illud affixerunt, pęnis palàm mulctauerint.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

Sententia, seu preceptum Summi Pontificis Pauli V. quo indicitur, & nunciatur interdictum in vniuerso Temimo Veneto, est scandalosum, & perturbationem affert in Ecclesia; immò continet intolerabilem errorem: Ergo non ligat, nec debet ab inferioribus recipi, vel obseruari.

RESPONSIO

NEgatur absolutè huius argumenti antecedens, quod ab illis nunquam probatum fuit, nec probari potest. Non enim sententia, quæ prohibet peccata, & in pęnam grauissimorum criminum, etiam per viam aggrauationis, iuridicè fertur, consilio quoque Illustrissimorum Cardinalium participato, intolerabilem errorem continere potest, nec scandalum actiuum aliquod, vel perturbationem vllam Reipublicę Christianę ex se afferre. Audiamus definitionem scandali à B. Thoma allatam in 2. 2. q. 43. art. 1. & rectè iudicabimus in Pauli V. sententia nullum scandalum, nullam offensionem, nullam animarum, vel corporum ruinam contineri. *Est*, enim inquit, *scandalum iuxta sententiam D. Hieronymi in 15. cap. Matth. dictum, vel factum minus rectum, vel quia habet aliquem rectitudinis defectum, vel quia est secundum se malum,*

him; vel quia habet speciem mali; vt idem D. Doctor declarat ibi in solut. 2. argumenti. At verò nihil in ea sententia pręcipitur, nisi bonum, nempè vt Rei recedant à malo iniustitię, & iniquarum legum; nihil prohibetur, vel punitur, nisi malum, violatio nempè sacrorum canonum; nulla ibi species, nulla effigies, vel vmbra mali, nulla denique ex parte legis, seu præcepti occasio ruinę, seu scandali; cum sententia, seu præceptum adhoc solùm tendat, vt delinquentes resipiscant, & ab iniquis legibus, & factis recedant. Scandalum igitur, quod in Venetis inuenitur, est scandalum pure: passiuum sine actiuo scandalum acceptum, scandalũ Pharisęorum, scandalum ex eorum malitia concitatum, & procuratum in detestationem iustę legis Põtificię; sicuti Pharisęi de doctrina Christi scandalizabantur Matth. 15. Neque propter huiusmodi scandalum, quod ex malitia procedit, redditur sententia, seu pręceptum superioris scandalosum, vel iniustum, vel perturbatiuum Reip. Ac proindè scandalo illo non obstã tè tenentur inferiores obedire huiusmodi pręcepto, cùm in se bonum sit, & necessarium, cùm ad peccatorum eradicationem, & ad animarum salutem tendat. Etenim quæ sunt de necessitate salutis, nullo modo prætermitti debent propter scandalum vitandum, vt ibidem docet D. Thomas ex D. Gregorij sententia homil. 7. in Ezech. qui sic ait: *In quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum, debemus: si autem*

de

de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scandalum, quàm quod veritas relinquatur. Eandem doctrinam refert D. Thom. 3. part. q. 42. art. 2. in corpore, & ad 1. & Beda in cap. 9. Marci, & Albertus Magnus in cap. 17. Lucę, & est cōis doctri. omniū Theologorum. Fuit aūt pręceptum Pauli V. necessarium non solùm ex parte Venetorum subditorū, qui in grauissimis criminibus ob violationem sacrorū canonum iacebant. Sed etiam ex parte Ecclesię cui maximū scāda lum, & perniciosum exēplum, ac detrimentum grauissimum afferebatur, dum impunè immunitas, & libertas Ecclesiastica Venetijs in cōspectu ferè Summi Pōtificis à laicis conculcaretur: Atq; etiam ex parte ipsius Summi Pontificis, cum sine graui culpa, eorū correctionē, quæ illis ad salutem necessaria erat, propter quodcūq; scādalum vitandum, pręteritmittere nō posset, vt expressè colligitur ex ijs, quę docet D. Thomas 2. 2. ead. q. & art. ad 4. Quamuis alia bona, seu præcepta supererogationis, vel eorum, quæ non sunt necessaria ad salutem, possint propter scandalum, pusillorū ad tēpus differri, vbi periculum non imminet, quousque de veritate, & iustitia præcepti subditi fuerint informati, & scandalum cesset, vel ēt dissimulanda sint, propter maius bonū, vt ibidē D. Thomas docet, quē sequūtur, Nauar. Syluest. & Richardus in 4. dist. 38. ar. 10. q. 2 Idē vero Syluester in verb. obediētia nu. 5. expressis verbis dicit, tunc, & nō in alio casu, sentētiæ

Papæ

Papę pręcipientis, etiam ſub pęna excommunicationis latę ſententię, non obtemperandum eſſe, quando ex eius exequutione ſcandalum animarum, vel corporum futurum eſſet in Ciuitate; quæ tñ doctrina caſui noſtro applicari non poteſt, cum à Summo Pontifice non ſcandalum huiuſmodi, ſed ſalus ánimarum, & corporum, ac totius multitudinis bonum intendatur, & procuretur. Ea enim, quę à Papa in ſuis literis pręcepta ſunt, per ſe diriguntur ad peccata tollenda, & ad ſalutem ſpiritualem multitudinis comparandam. Atque id ex maxima charitate factum fuit; nec militat contra charitatem lex, quę peccatum excludit. Similiter dicimus ex talis pręcepti Pontificij executione nullum ſcandalum animarum, vel corporũ oriri poſſe in Ciuitate, alijſuè locis, niſi hoc ſcandalum, & perturbatio ex malitia, & voluntate non obediendi excitetur, & procuretur, immò ex inobſeruatione interdicti maxima ſcandala, & ingentes perturbationes in tota Republica Chriſtiana naſcuntur, cum iuſtum Papę pręceptum negligatur, & deſpiciatur: neq; enim in his quę pertinent ad neceſſitatem virtutis, & correctionem vitiorum obedire Pręlatis, & pręcipue Papę, eſt opus ſupererrogationis, ſed neceſſitatis, & omnibus commune: ita definit. D. Thomas 2, 2. quæſt. 186. ar. 5. ad primum. Quocirca ea, quæ ſcribit Cordubenſis l. 3. quæſt. 13. reg. 3. nec caſui noſtro accomodari poſſunt,
quia

quia ex lege Pontificia lata non graue malum, sed summum bonum spirituale obseruantibus imminet; ex malitia verò non obseruantibus, malum aliquod etiã spirituale per accidens contingere non impedit, quin lex, seu præceptum bonũ, & iustum ex sua natura sit, ac proindè, præsertim cum sit necessarium omnino obseruandum. Alexander verò III. in cap. Cum teneamur. de prębendis. non loquitur de præceptis, seu sententijs, & legibus Pontificijs, sed de prouisione à Sede Apostolica emanata particularium beneficiorum, & præbendarum in fauorem singularium personarum, in qua multę indiuiduę informationes desiderantur, quę mandatum Papę particulare de prouidendo, seu in possessionem immittendo, variare, & impedire possunt, cùm sint quid facti; pręsertim si Papa, ea in re fuerit dubius, & deinde certior reddatur, vt ęquũ est reuerenter, de ratione, & causa non adimplendi, vel exequendi tale mandatum, quousq; ab eodẽ Papa aliter fuerit iussum, & declaratum. Adde quod Alexander III. in eo capite licẽtiam dedit, vt illi, ad quos literas prouisionis direxerat, si legitimum impedimẽtum adesset, eas non exequerentur, quod tamen ad ipsummet Pontificem insinuari deberet, & ab eodem iudicari, an tale impedimentum legitimum esset: vt dicitur in capit. Si quando. de Rescriptis. Quod remedium etiam conceditur illis, quibus publicatio, & executio censurarum à Papa committitur, nõ autem

ipsis

ipſis excommunicatis, vel interdictis, qui omnino debent parere, etiamſi cenſurę iniuſtę, vel inualidę eſſent, quod certè non contingit in caſu Venetorum. Illi vero quãdo probabiliter dubitarent de iuſtitia, vel ſcandalo, poſſent in executione, vel publicatione ſuperſedere, & interim de ea re Papam certiorem reddere, ac eius ſecundam iuſſionem expectare. Lex item diuina non pręcipit, propter ſcandalum paſſiuum vitandum præcepto ſuperioris, & præcipuè Papę obediendum non eſſe; immò pręcipit expreſſè, propter tale ſcandalum ex malitia prouocatum non eſſe prętermittenda præcepta, & obſeruationes eorum, quando neceſſaria ſunt ad ſalutẽ, vt expoſitũ eſt. Ad vniuersã hãc materiã illuſtrãdã non erit iniucundũ nõnulla loca D. Thomę, vt amplius veritas eluceſcat, afferre.

B. Doctor 2. 2. quæſt. 33. ar. 6. in corpore. hęc verba habet: *Duplex eſt correctio delinquentis; vna quidem pertinet ad prçlatos, quæ ordinatur ad bonũ cõmune, & hẽt vim coactiuã: & talis correctio nõ eſt dimittẽda propter turbationem eius, qui corripitur, tùm quia ſi propria ſponte emendari non velit, cogendus eſt per pęnas, vt peccata dimittat; tùm etiam quia ſi incorrigibilis eſt, per hoc prouidetur bono communi, dùm ſeruatur ordo iuſtitiæ, & vnius exemplo alij deterrentur. Vndè Iudex non prætermittit ferre ſententiã condemnationis in peccantem propter timorem turbationis ipſius, vel etiam amicorum eius.*

Idem D. Thomas 2. 2. quæſt. 108. articul. 1. ad 5.

Tolerādū est peccatū Principis, si sine scādalo multitudinis pati nō posset nisi fortè esset tale peccatū Prīcipis, quod magis noceret multitudini, vel spiritualiter, vel tēporaliter, quā scā dalū, quod exīdè oriretur. Hęc ille. Et nihil pręclarius opportuniusuè ad pręsētē casū dici poterat. Princeps.n. Venetus spiritualiter nocet oīb. suis subditis, cū illis iniqua edicta, libellos scādalosos, & plenos blasphemijs ī Sedē Apōlicā, hęresim, & schismata redolētes, per vim, & metū legēdos proponat, eosq; ad inobediētiā Sedis Apōlicę vehemēter inducat. Hinc sequitur, pręceptū Pōtificiū, cū nihil pręter ordinē diuinę iustitię cōtineat, nullū intolerabilē errorē hēre, nec hēre posse, & oēs subditos ad illud īplēdū obligari, & eius inobediētiā grauissimū esse peccatū, cū in cōtēptū supremi Prīcipis Ecclesiastici, qui locū Dei interris tenet, directè redūdet, vt decidit D. Th. 2.2.q.105.ar.2

Est quidem interdicti censura asperum, durūq; pręceptū, sed salubre, ac proficuū populis, si, vt zelo, ac charitate fertur, ab illis quoq; patiēter, & humiliter suscipiatur; Estq; adinstar ferreę sartaginis, quā Dns Ezech.4.poni iussit in murū ferreū inter Prophetā, & Ciuitatē ī latere descriptā, ad quā obfirmās faciē suā Ezechiel, seueritatem iudicij Dei contra illam significauit; Vt enim inquit D. Hieronymus: *Sartago ferrea, quę instar muri inter Prophetam, & vrbem ponitur, grandem iram demonstrat Dei, quę nullis precibus fatigetur, nec flectatur ad misericordiam. Sicut enim omnia*

metalla

metalla ferrum domat, nihilq; eo durius est: sic incredibilia scelera Hierusalem, Deum natura mollem, suo vitio fecerũt esse durissimum. Sartago quoque dicitur medius inter Populum, & Deum murus oppositus: vt ostendat omnem multitudinem in breui esse frangendam, redigendamque ad nihilum. Obfirmatio autem vultus contra vrbem, seueritatis indicium est. Hæc ille. D. Gregorius lib. 1. in Ezech. hom. 12. per sartaginem, in qua cibus frigitur, docet significari zelum, quo Prelati animus frigitur, cum aliquos videt ęterna deserere, & rebus temporalibus delectari. Quo sensu dixit Paulus 2. ad Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Ipse suum cor,* inquit Gregorius, *quod animarum zelo succenderat, sartaginem fecerat, in quo amore virtutum, contra vitia ardebat.* Sic ẽt pręcipitur in 6. cap. Leuit. nimirũ, quòd simila in sartagine oleo conspersa frigeretur, & calida ĩ odorẽ suauissimũ Dño offereretur: mẽs enim iusti Prelati per zelũ charitati crematur, dũ malos sustinere nõ põt, eorũq; vitia insectatur; quę tñ iubetur cõspergi oleo idest, charitati, & misericordię misceri, vt ĩ cõspectu Dei ardeat, & luceat. Vndè & calida offerri pręcipitur, quia si amorẽ zelus nõ hẽt, simila, quę de sartagine offertur, calorẽ amisit. Hũc Pastorũ zelũ in Peccatores, vocat Dauid psal. 138. perfectũ odiũ; *Perfecto,* inquit, *odio oderã illos, & inimici facti sũt mihi.* Quę verba exponens D. Gregorius 3. parte Curę Pastoralis admonitione 23. sic scribit.

Inimicos Dei perfecto odio odisse est, & quod facti sunt diligere, & quod faciunt, increpare. Itaque tantus Propheta hoc velut in hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino prauorum immicitias excitauit: sequitur enim, *& inimici facti sunt mihi. Hinc est quòd tribus Leuitica assumptis gladijs per castrorum media transiens, quia feriendis noluit peccatoribus parcere, dicta est manus Deo consecrasse.* Exod. 32. *Hinc per semetipsam veritas dicit* Matth. 10. *Quid putatis, quia pacem veni mittere in teram? non veni pacem mittere, sed gladium.* Deinde monet oēs Gregorius, *vt eandem pacem dilectione integra intrinsecùs teneant, quam per inuectionem vocis extrinsecus turbant, quod utrumque se testatur seruasse Regius vates, cum ait,* psal. 119. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis: Ecce loquens impugnabatur, sed tamen impugnatus, erat pacificus, quia nec insanientes cessabat reprehendere, nec reprehensos negligebat amare: idcirco etiam Paulus ait* ad Romã. 12. *si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: hortaturus enim fideles, vt pacem cum omnibus haberent, premisit, dicens si fieri potest, & subiunxit, quod ex vobis est. Difficile quippè erat, vt si male acta corriperent, habere pacem cum omnibus possent, rectè itaque ait quod ex vobis est: ac si dicat; quia pax ex duarum partium consensu subsistit, si ab eis, qui corripiuntur, expellitur, integra tamen in vestra, qui corripitis, mente teneatur.* Vndè 2. ad Thessal. 3. *si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commisceamini*

cum

iam illo, vt confundatur, & statim subdit: & nolite vt inimicum existimare illum, sed corripite vt fratrem: quasi dicat, pacem cum eo exteriorem soluite, sed interiorem circa illum medullitùs custodite. Hactenus Gregorius.

TERTIVM ARGVMENTVM.

INterdictum multa mala affert, & ferè innumerabilia, & ex eius obseruatione tàm in bonis, quàm in personis multa incommoda, ac detrimenta oriuntur. Ergo non est obseruandum, & recipiendum.

RESPONSIO

SAtis huic argumento factum est in capite precedenti huius disputationis, & iterum dicimus, quod cùm pęnę infligantur vt medicinę quędam ad cohibenda peccata, vt docet D. Tho. 2.2.q.43.ar. 2. ad primum maiora esse cōmoda, & emolumenta, quę emanant ab interdicti obseruatione in Ecclesia, quàm incōmoda, vel detrimenta. In primis *melior est obedientia, quàm victimæ*; Vnde Gregorius in vlt. Moral. optimè dixit, quòd obedientia victimis iure pręponitur, *quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur*. & Cassiodorus in collat. 24. Abbatis Danielis ait: *Vnum ferè, atq; idem inobediētiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter*

otij

otij desiderium, senioris violare mandatum, tanque dispendiosum est, pro somno, quàm pro vigilantia superiorum statuta conuellere, tantum denique est Abbatis transire præceptum, vt legas, quantum si contemnas, vt dormias. Quare infert S. Thom. 2.2.q.104. art. 3. Quęcunque alia opera virtutum ex hoc maximè apud Deũ meritoria esse, quod fiunt, vt obediatur diuinę voluntati, quę etiam præcipit, vt Præpositis animarum nostrarum obediamus. Secundo relucet singularis quędam religio, atque deuotio populorum in interdicto locali, dùm eximia diligentia ad loca vicina, vel etiam remota, non supposita interdicto, auidè accedunt, vt missã audiant, & sacramenta recipiant, quę pietas indeuotionem, & impietatem eorum, qui interdicto non obtemperant, omnino obscurat. Tertio resplendet maxima reuerentia, & honor erga supremum Patrem est enim hujusmodi reuerentia filia obedientię, vt ibidé inquit D. Thomas ad primum. Quarto defenditur ex obseruatione interdicti Sedis Apostolicę auctoritas, & iurisdictio, quod summum bonum in Ecclesia esse, rectè iudicandũ est. Quinto quoniã ex obseruatione interdicti localis generalis, virtus patientię summoperè in subditis exercetur cũ alienæ culpę pęnas luãt humiliter. Sexto quoniã ex obseruatione interdicti multa flagitia, & crimina à Populis remouẽtur, *vexatio* enĩ *sola*, vt dicitur Esa. 28. *dat intellectũ*; Quòcirca interdictũ rapidissimo torrenti non incongrue

grūe aſſimilari pōt; Sicut enim torrēs magno impetu fluens temporarius quidā riuus exiſtit, nō è fonte, ſed è pluuia naſcens, agros purgat, ingētia ſaxa remouet, arbores è vijs eradicat, alta edificia deijcit, ac deinde trāquillum tempus relinquit: Sic interdictū ſacris cōminationibus terrens, temporaria quadā pęna nocentes plectit; non illud quidē ſtatis annis, aut tēporibus, ſed ingruētibus hoīum ſceleribus promulgatum, Ciuitates vitijs expurgat, ingētia crimina remouet, mores prauos, & inſtituta impia eradicat, Principum animos tumentes, rebelleſque voluntates profligat, ac deijcit, denique pacem populis, exemplum poſteris, tranquillam ſuarum ouium cuſtodiam, & gubernationem Eccleſię relinquit. Septimo quoniam obtemperantes interdicto teſtimonium prębent veritati, & tanquā fideles, ac incorrupti teſtes ei aſtipulantur, & fauent: At contra inobtemperantes mendacio hęrent, falſitatis partes ſuſcipiunt, & à mendacio protecti errores fouent: quò circa illud cum iactantia vſurpant, quod ſcribitur Iſaię 28. *Flagellum inundans, cum tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium, ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* De his quoque loquitur. Hierem. c. 9. *Extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum mendacij, & non veritatis; confortati ſunt in terra, quia de malo ad malum egreſſi ſunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus.* Et iterum c. 8. *A Propheta vſque ad ſacerdotem faciunt mendacium:*

plurimâ

plurima impia edicta, & varias iniquas leges edentes, & Sedis Apostolicę auctoritatem oppugnantes: *docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, & vt inique agerent laborauerunt*. ibidem, At Isaias cap. 10. exclamat. *Vę, qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt*. Octauo, quia obtemperantes interdicto omnibus, nempè, Deo, Angelis, & hominibus, pijs scilicet, atque religiosis, tanquam boni Cattholici, venerationi, & honori sunt. Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus*.

At contra inobtemperantes etiam ab ipsis Regibus, atque Principibus despicientur Isa. 20. Flagellum inundans, cùm transierit, eritis ei in conculcationem.

Nono, quia obtemperantes interdicto fędus, quod cum Deo, Angelis, Ecclesia, cunctisque fidelibus in baptismo inierunt, tanquam fideles milites obseruant, atque custodiũt, Christo, & eius Ecclesię usque ad sanguinem inseruire parati, lege D. Thom. in 2. sen. dist. 44. quęst. 2. ar. 3. ad 5. At inobtemperãtes, tanquam Dei, atque fidei desertores cum morte, demone, & inferno pactum fecerũt, quò semper, ni ab iniustitiæ via discedant, Deo, & eius Ecclesię infesti, atque molesti sint.

Decimo, & vltimo, quoniam decentius, & opportunius est Domum, hoc est, Ecclesiam Dei, & fideles ipsos, purgare à profanis, & iniquis legibus, ab impijs,

pijs,& prauis actionibus, ab immundis facinoribus, ab indebita seruitute, & captiuitate potestatis secularis, præcipue quo ad immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam, quod vtique fit per lationem interdicti, quàm permittere eam in speluncam profanam indies turpissimè degenerare, etiam si ipsi sacerdotes, vel Ecclesiastici illam profanarent, vel eius profanationi aliquo pacto consentirent, & opem ferrent, vt enim ait B. Clemens lib. 2. de Constituti. Apostol. si hominem flagitiosum ab Ecclesia non remouemus, facimus Domum Dei speluncam latronum: Quod exemplo Christi, omnino persuadetur, qui nec laicis, nec ipsis sacerdotibus parcens proprio flagello, ac sua manu bis ementes, & vẽdentes de templo eiecit, tùm Matth. 21. quod factum, etiam Marci. 11. & Lucę. 19. scribitur, tùm Ioan. 2. Vbi obseruandum est; seueriorem Christum se ostendisse in postrema eiectione, quàm in priori, vt notat D. Chrysost. homil. 22. In Ioan. cùm in prima dixerit illos fecisse Domum Patris sui Domum negotiationis, in secunda verò speluncam latronum; quod profecto grauius est: quo facto Christus, Prælatos Ecclesiæ docuit, debere abusus publicos non solum laicorum, sed etiam sacerdotum, maxime circa diuina, hoc est, circa personas, iura, & bona Ecclesiastica, & verbo, & facto iterum, atq; iterum eradicare, & non solùm profanis pęnis, sed etiam proprijs Ecclesiasticis flagellis, pęnis nempe spiritua

 libus

libus, excommunicationis, & interdicti, eorumque aggrauatione punire. Lege epist. secundam Anacleti Papę, quę habetur tom. I. epist. decretal. Summorum Pontificum. Ex hac Christi actione, qua non aliena, sed propria manu è templo eiecit Sacerdotes in culpa, & vitio negociationis, in eodem templo deprehensos (sic enim ex capit. 11. Marci conijcitur, cùm ex hoc Christi facto Principes sacerdotum indignati quęrebant Iesum perdere, quicquid Beda, Iansenius, Toletus, & Maldonatus dicant) eleganter idem Anacletus, nec non Pius I. epistol. I. & Iulius I. epistol. contra Orientales Episcopos, pro Athanasio, quos etiam capite primo adduximus, colligunt, sacerdotes diuino iure nõ à põtate laica, sed ab ipso Deo per suos Ecclesiasticos ministros iudicãdos, & puniẽdos esse, sic autem Anacletus scribit. *Accusatio quoq; eorũ, super qua nos cõsulere voluistis nõ nisi ab idoneis, & probatissimis viris, qui, & suspicionibus, & sceleribus careant fieri debet, quia D.ñs sacri sui corporis tractatores à vilibus, & reprobis, ac nõ idoneis personis infamari noluit, nec calũmari permisit, sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes à templo eiecit. Unde liquet, quòd summi sacerdotes, idest Episcopi à Deo sunt iudicandi; non ab humanis, & prauę vitę hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi ipso Domino exemplum dante, quando per seipsum, & non per alium vendentes, & ementes eiecit de templo, & mensas*

nummu-

nummulariorum, & Cathedras vendentium proprio euertit flagello, & eiecit de templo; & sicut alibi ait Deus stetit in synagoga Deorum in medio autem Deos decernit) & alibi, (ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes) Nullus enim, vt reor, inuenitur inter nos; qui velit suum seruum ab alio quàm, à se iudicari; Quod si præsumptum fuerit, aut multa ipse indignatione irascitur, aut potius vltionem quærit super eum. Si verò hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus Deorum, & Dominus dominantium, qui vltionem suorum promisit non differre seruorum? Hęc ibi. Vide quoque circa hanc eiectionem D. Hieron. in Esa. c. 5. & 28. & in Thren. c. 2. D. Augustin. lib. 1. retract. capit. 13. D. Gregor. in Ezechiel. homil. 2. & lib. 4. registr. epistol. 51. 55. 56. & lib. 5. epistol. 7. & lib. 7. epistol. 100. & lib. 9. epistol. 40. Item D. Thomam 2. 2. quæstion. 77. articul. 4. & 3. p. quæstion. 44. articul. 3. & in addi. quæstion. 37. articul. 4. & Caietan. in Summa ver. Immunitas, vbi expresse dicit non ex positiuo iure tantum, sed diuino quoque iure omnem iniuriam, & inreuerētiā loco, personis, & rebus Deo dicatis factā, prohibitā esse. B. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 23. scribit, vendentes, & ementes eiectos fuisse propter contemptū, & eorum auaritiam, quę duę causę potissimum militant contra Politicos recentes rerum sacrarum violatores, & corruptores, qui tùm ob cupiditatem

vsurpandi bona Ecclesiæ, atque eius iurisdictiones, tùm in despectionem, & conculcationem sacerdotalis honoris, profanant Ecclesias, iura sacra polluunt, iurisdictiones Ecclesiasticas vsurpant, atque omnia etiam diuina sub laico regimine, Anglicano more, redigunt, atque constituunt: nonne ridiculum, & impium esset, si Christum flagellantem eos, qui sacra profanant, Pseudotheologi impedirent, pellerēt, atque fugarent? idem planè faciunt, qui censuram interdicti Pontificij impediunt, vel contemnunt; Sed sciāt incommoda, & detrimenta illa temporalia dispersionis nummorum, mensarum, & ouium, pro nihilo habēda esse, si spiritualia emolumenta, ex Christi flagello, & temporalium rerum eiectione, profecta considerentur.

QVARTVM ARGVMENTVM.

IVstus timor excusat ab inobedientia precepti, ergo & ille excusabit venetos ab inobseruantia interdicti.

RESPONSIO

IAM diximus in hoc casu Venetorum, nullum intercedere timorem iustum, ob quem Episcopi ab īterdicti obseruatione, & Clerici, vel laici ab eius executione licitè excusentur, cum certissimum sit, timorem

morem nunquam ab obſeruantia humani pręcepti excuſare, quando ab inobſeruantia præcepti humani ſequitur præuaricatio diuini præcepti : neque enim Princeps, vel Dux mandat non obſeruari interdictũ, niſi ob contemptum poteſtatis Eccleſiaſticæ, & vt oſtendat poteſtatem ſuam temporalem à poteſtate Eccleſiaſtica non dependere, immo Epiſcopos, & Clericos magis ſibi, quam Pontifici obtemperare debere. At potius quis tenetur defendere articulum fidei, & euitare pręiudicium Catholicę religionis, quam bona, vel etiam propriam vitam tueri; hoc enim non ſolum natura docet, nec ſolum eſt pręceptum diuinum naturale, quo obligamur, bonum ſpirituale animę præferre bono corporali, quodque dictat obediendũ eſſe magis Deo bona ad ſalutem neceſſaria per ſuperiores pręcipienti, quam hominibus, qui contra diuina præcepta aliquid iubent; ſed etiam eſt præceptum diuinum poſitiuum in Euangelio à Chriſto expreſsũ dum dixit. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; qui autẽ negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei,* Lucę. 12. & *Qui me confuſus fuerit, & uerba mea in generatione iſta adultera, & peccatrice, & filius hominis cõfundetur eum, cum venerit in gloria patris ſui cum Angelis ſanctis.* Marci 8. Sic enim legitur in Biblia Sixti; Adde quod pręceptum diuinum poſitiuum in ſacris literis habetur, ne legibus cuiuſcúmque principis iniuſtis,

& con-

& contrarijs legi diuinę obediatur. Sic definit D. Thomas 1.2.quęst.96.art.4. vbi ita habet; *Alio modo leges possunt esse iniustę, per contrarietatem ad bonum diuinum; sicut leges Tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud, quod sit contra legem diuinam; & tales leges nullo modo licet obseruare, quia sicut dicitur Actuũ. 4. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Quæ doctrina militat quoque in casu Venetorum, vt de se patet; inducere enim ad contemptum religionis Catholicę, & despicere pontificiam potestatem, peius est, & magis, vel saltem ęque nocuum hominibus, & religioni Christianæ, quàm inducere ad idololatriam. Nec sic resistendo potestati peccatur, quia, vt inquit Diuus Thomas ibidem in sol. ad primum. *Qui contra mandatum Dei aliquid præcipit, non facit id secundum ordinem potestatis à Deo datum, & institutum; sed excedit limites rectę potestatis, ac proinde illi, ea in re obediendum non est*; quod etiam scribit in sol. ad 2. his verbis. *Ratio illa procedit de legibus humanis, quę ordinantur contra Dei mandatum, & ad hoc, ordo potestatis non se extendit: vnde in talibus legi humanæ non est parendum.* Adde, sed potius vsque ad sanguinem resistendum, non obstante quocumque humano scandalo, & temporali detrimento, nam maius spirituale scandalum, & detrimentum quoad fidem, & religionem Christianam nascitur ex obseruatione huiusmodi impij humani præcepti, quam ex eius inobseruatione; immo si ei non pareatur,

reatur, multa lucra fidelibus prętantur: relucet enim in ea resistentia, insignis obedientia erga Summum Pontificem, perfecta conseruatio auctoritatis Apostolicę, eximia fidei defensio, & ampla propagatio Catholicę veritatis in vniuersum Orbem, quę quidem, vt dictum est maxima sunt bona in Republica Christiana, & hoc tempore, quo hęreses vigent, pernecessaria, ac magni æstimanda.

QVINTVM ARGVMENTVM.

CHristianus non debet obedire precepto Papę, nisi prius illud examinauerint Principes, vel Magistratus. An sit conueniens tempori, loco, personis. An sit legitimum, vel obligatorium, etiam, si Papa affirmet suum preceptum esse iustum, immo etiam si aliquid pręcipiat sub pęna excommunicationis latę sententię. Sic Beræenses, cum Paulo prędicante, sic Iudei christiani cum Petro Cornelium conuertente se gesserunt. Igitur &c.

RESPONSIO

AD hoc quintum argumẽtum respondemus. Antecedens esse temerarium, falsum, & erroneũ; cũ propriũ sit subditorum obedire Prępositis suis, & nõ solũ obedire, sed cognoscere, ac profiteri, se subiectos illis esse, vt inquit D. Paulus ad Hebr. 13.

Quare

Quare Nicolaus Papa in epist. ad Michaelem Imperatorem, cuius initium est Proposueramus, recte cõcludit ex diuina scriptura, & dictis Patrum, non posse eos, qui minoris, & inferioris auctoritatis sunt eũ qui maioris potestatis est, iudicijs suis addicere, aut proprijs definitionibus subiugare, & hẽtur in can. Inferior. dist. 21. Iudicãs enim est sublimior eo, de quo iudicat, vt docet D. Aug. in lib. de liber. Arbitrio, vnde dixit Apostolus. 1. ad Cor. 4. qui aũt iudicat me Dominus est. Quo igitur iure inferior insurget, tùm voluntate, tùm intellectu, immo etiam lingua, & operibus aduersus præceptum, & legem superioris, & præsertim supremi? & quis, nisi temerarius, & maxime superbus, audebit *ponere os in cęlum*? est vtique hoc summę inobedientię signum, velle antea examinare, vel perscrutari prçceptum superioris; quemadmodum silentium post impositum præceptum, perfectę obedientię argumentum est, vt notat D. Hier. in epist. ad Rusticum: tunc enim exemplo Moysi internam obedientiam externo silentio declaramus. *Audi*, inquit, *Israel, & tace*. Deuter. 27. sic enim legit D. Hier. vulgata verò lectio habet: *Attende, & audi Israel*, & iterũ Deuter. 6. *Audi Israel, & obserua, vt facias, quæ præcepit tibi Dominus*. Nec solum religiosis conuenit hic perfectus, & supremus gradus obedientię, vt sine vlla discussione iubenti Prępositο obediant; sed etiam cuilibet Christiano respectu Summi Pontificis in his, quę

ille præcipit circa fidem, & mores vniuersales in Ecclesia, & correctionem peccatorum, & ea, quæ sunt necessaria ad salutem: omnes enim in his primario, immo magis tenentur obedire Papę, qui est primus superior, quàm cuicumque inferiori; maiori enim potestati magis obediendum est, quàm minori, vt docet D. Thomas 2.2. quæst. 104. art. 5. & quęst. 105. artic. 2. Cuius dicti reddit rationem idem D. Thomas in ar. 1. eiusdem quęst. 104. dicens quod sicut in naturalibus superiora mouent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis à Deo eis collatę; ita in rebus humanis oportet, vt superiores moueant inferiores per suam voluntatem, ex vi auctoritatis diuinitus ordinatę. Mouere autem per rationem, & voluntatē, est præcipere; Quò circa sicut ex ipso ordine naturali inferiora in rebus naturalibus necesse habent subijci motioni superiorum; ita etiam in rebus humanis, ex ordine iuris naturalis, & diuini, tenentur inferiores suis superioribus obedire. Audiant Pseudotheologi D. Basil. in lib. de Constit. Monast. c. 20. & 23. qui loquens de obedientia à suis Monachis, Antistiti præstanda, sic scribit; *Monachi libentissime obtemperent suo Prepo sito, nec ab eo eorum, quæ sibi imponuntur, rationem reposcant*, & alibi, *Nibil omnino ipsorum iussa curiosius perscrutando, quando libera sunt à peccato*. S. Hieron. in epist. ad Rusticum, *Credas*, inquit, *salutare quidquid Prępositus pręceperit, nec de maiorum sententia iudices*. Cassianus l. 4.

col.cap.10.Hęc aurea verba ſcribit: *Aegiptij Monachi vniuerſa complere quęcumque fuerint à ſuo Pręposito pręcepta, tanquam ſi à Deo ſint cęlitus edita, ſine vlla diſcusſione feſtinant*, & poſtea cap. 41. *Nihil diſcernens, nihil diiudicans ex ijs, quę tibi fuerint imperata, ſed cum omni ſimplicitate, ac fide obedientiam ſemper exhibeas*. S.Gregor.lib. 2.in 1.Reg.cap.2.ait, *Vera obedientia nec Prępoſitorum intentionem diſcutit, nec pręcepta diſcernit, nec ſcit iudicare, quiſquis perfectè didicit obedire*. S. Bernardus in tractat. de pręcept. & diſpẽſa. ait: *Quicquid vice Dei pręcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt, quàm ſi pręcipiat Deus*. Hęc ille: Correctio, quęſo, peccatorũ, dicant Pſeudotheologi, qua ratione Deo diſplicere poteſt? idem Bernardus in ſermon.de conuerſione S.Pauli deplorat eos, qui nolũt, quaſi cęci, ad manum trahi cum Saulo, quod ſe exiſtiment illuminatos, cùm non ſit illis credita diſpenſatio, vt videant, & prouideant his, qui apertos oculos habentes nihil vident; Contra, prędicat felicem cęcitatem eorum, quorum oculi in conuerſione ſalubriter excęcantur, qui male fuerant in pręuaricatione illuminati: Quare rectè B. Chryſoſtom. Homil. 31. in Geneſ. loquens de Abraham, qui iuſſus fuit de domo patris exire, nec tamen intellexit, ad quam mundi partem migraturus eſſet. *Nihil*, inquit, *in mentem ſuſcipiendum cenſuit; ſed ſicut voluntarius ſeruus ad ſolum Imperium obediuit, nihil curioſe quęrens*: Nec incongruè

idem

Idem D. Bernardus in sermon. ad fratres de monte Dei huiusmodi obedientiam vocat indiscretam, quia nescit discernere, quid, & quarè pręcipiatur. Hac obedientia sine dubio caruit Eua, cùm audiuit Dęmonem dicentem, *Cur pręcepit vobis Dominus &c.* vt notauit S. Chrysostom. Homil. 16. in Genes. Et præfati quoque Pseudotheologi spiritu serpentis imbuti audent persuadere Venetis, in omni præcepto, etiam Papæ, quærendam, & inuestigandam esse causã, & omnia dicta, & facta superioris in examen, & controuersiam reducenda, constituentes seipsos propria auctoritate Iudices cuiuscumque legis, atque præcepti à Superiori potestate emanati. Quod obsecro in Republica politica, vel Ecclesiastica turbulentius dogma statui potest? peruertit hęc doctrina, atque confundit omnem quietem, & tranquillitatem ciuium; omnem rectę, & ordinatæ gubernationis rationem tollit; omnem reuerentiam, & obtemperantiam Principibus subtrahit: Quid ergo mirum, si & Deo, eiusq; Vicario illam denegent? Sed animaduertendum, illos concedere pręcepta Principum secularium non esse discernenda, vel scrutanda, sed absolutè amplexanda, & exequenda. At pręcepta Præpositorum spiritualium, & præcipuè Summi Pontificis, magno cum rigore examinanda statuunt; Quid clarius ad odium pontificię potestatis demonstrandum dici potuit?

otij desiderium, senioris violare mandatum, tanque dispendiosum est, pro somno, quàm pro vigilantia superiorum statuta conuellere, tantum denique est Abbatis transire praeceptum, vt legas, quantum si contemnas, vt dormias. Quare infert S. Thom. 2.2. q. 104. art. 3. Quęcunque alia opera virtutum ex hoc maximè apud Deũ meritoria esse, quod fiunt, vt obediatur diuinę voluntati, quę etiam præcipit, vt Præpositis animarum nostrarum obediamus. Secundo relucet singularis quędam religio, atque deuotio populorum in interdicto locali, dùm eximia diligentia ad loca vicina, vel etiam remota, non supposita interdicto, auidè accedunt, vt missã audiant, & sacramenta recipiant, quę pietas indeuotionem, & impietatem eorum, qui interdicto non obtemperant, omnino obscurat. Tertio resplendet maxima reuerentia, & honor erga supremum Patrem: est enim hujusmodi reuerentia filia obedientię, vt ibidé inquit D. Thomas ad primum. Quarto defenditur ex obseruatione interdicti Sedis Apostolicę auctoritas, & iurisdictio, quod summum bonum in Ecclesia esse, rectè iudicandũ est. Quinto quoniá ex obseruatione interdicti localis generalis, virtus patientię summoperè in subditis exercetur cũ alienæ culpę pęnas luãt humiliter. Sexto quoniá ex obseruatione interdicti multa flagitia, & crimina à Populis remouẽtur, *vexatio* enĩ *sola*, vt dicitur Esa. 28. *dat intellectũ*; Quòcirca interdictũ rapidissimo torrenti non incon-

grue

grūe aſſimilari pōt; Sicut enim torrēs magno impetu fluens temporarius quidā riuus exiſtit, nō è fonte, ſed è pluuia naſcens, agros purgat, ingētia ſaxa remouet, arbores è vijs eradicat, alta ędificia deijcit, ac deinde trāquillum tempus relinquit: Sic interdictū ſacris cōminationibus terrens, temporaria quadā pęna nocentes plectit; non illud quidē ſtatis annis, aut tēporibus, ſed ingruētibus hoīum ſceleribus promulgatum, Ciuitates vitijs expurgat, ingētia crimina remouet, mores prauos, & inſtituta impia eradicat, Principum animos tumentes, rebelleſque voluntates profligat, ac deijcit, denique pacem populis, exemplum poſteris, tranquillam ſuarum ouium cuſtodiam, & gubernationem Eccleſię relinquit. Septimo quoniam obtemperantes interdicto teſtimonium prębent veritati, & tanquā fideles, ac incorrupti teſtes ei aſtipulantur, & fauent: At contra inobtemperantes mendacio hęrent, falſitatis partes ſuſcipiunt, & à mendacio protecti errores fouent: quò circa illud cum iactantia vſurpant, quod ſcribitur Iſaię 28. *Flagellum inundans, cum transierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium, ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* De his quoque loquitur. Hierem. c. 9. *Extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum mendacij, & non veritatis; confortati ſunt in terra, quia de malo ad malum egreſſi ſunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus.* Et iterum c. 8. *A Propheta vſque ad ſacerdotem faciunt mendacium:*

plurimā

plurima impia edicta, & varias iniquas leges edentes, & Sedis Apostolicę auctoritatem oppugnantes: *docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, & vt inique agerent laborauerunt.* ibidem. At Isaias cap. 10. exclamat. *Vę, qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt.* Octauo, quia obtemperantes interdicto omnibus, nempè, Deo, Angelis, & hominibus, pijs scilicet, atque religiosis, tanquam boni Catholici, venerationi, & honori sunt. Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.*

At contra inobtemperantes etiam ab ipsis Regibus, atque Principibus despicientur Isa. 20. Flagellum inundans, cùm transierit, eritis ei in conculcationem.

Nono, quia obtemperantes interdicto fędus, quod cum Deo, Angelis, Ecclesia, cunctisque fidelibus in baptismo inierunt, tanquam fideles milites obseruant, atque custodiũt, Christo, & eius Ecclesię usque ad sanguinem inseruire parati, lege D. Thom. in 2. sen. dist. 44. quęst. 2. ar. 3. ad 5. At inobtemperãtes, tanquam Dei, atque fidei desertores cum morte, demone, & inferno pactum fecerũt, quò semper, ni ab iniustitiæ via discedant, Deo, & eius Ecclesię infesti, atque molesti sint.

Decimo, & vltimo, quoniam decentius, & opportunius est Domum, hoc est, Ecclesiam Dei, & fideles ipsos, purgare à profanis, & iniquis legibus, ab impijs,

pijs,& prauis actionibus, ab immundis facinoribus, ab indebita seruitute, & captiuitate potestatis secularis, præcipue quo ad immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam, quod vtique fit per lationem interdicti, quàm permittere eam in speluncam profanam in dies turpissimè degenerare, etiam si ipsi sacerdotes, vel Ecclesiastici illam profanarent, vel eius profanationi aliquo pacto consentirent, & opem ferrent, vt enim ait B. Clemens lib. 2. de Constituti. Apostol. si hominem flagitiosum ab Ecclesia non remouemus, facimus Domum Dei speluncam latronum: Quod exemplo Christi, omnino persuadetur, qui nec laicis, nec ipsis sacerdotibus parcens proprio flagello, ac sua manu bis ementes, & vendentes de templo eiecit, tùm Matth. 21. quod factum, etiam Marci. 11. & Lucę. 19. scribitur, tùm Ioan. 2. Vbi obseruandum est; seueriorem Christum se ostendisse in postrema eiectione, quàm in priori, vt notat D. Chrysost. homil. 22. In Ioan. cùm in prima dixerit illos fecisse Domum Patris sui Domum negotiationis, in secunda verò speluncam latronum; quod profectò grauius est: quo facto Christus, Prælatos Ecclesiæ docuit, debere abusus publicos non solum laicorum, sed etiam sacerdotum, maxime circa diuina, hoc est, circa personas, iura, & bona Ecclesiastica, & verbo, & facto iterum, atq; iterum eradicare, & non solùm profanis pęnis, sed etiam proprijs Ecclesiasticis flagellis, pęnis nempe spiritua

libus, excommunicationis, & interdicti, eorumque aggrauatione punire. Lege epist. secundam Anacleti Papę, quę habetur tom. 1. epist. decretal. Summorum Pontificum. Ex hac Christi actione, qua non aliena, sed propria manu è templo eiecit Sacerdotes in culpa, & vitio negociationis, in eodem templo deprehensos (sic enim ex capit. 11. Marci conijcitur, cùm ex hoc Christi facto Principes sacerdotum indignati quęrebant Iesum perdere, quicquid Beda, Iansenius, Toletus, & Maldonatus dicant) eleganter idem Anacletus, necnon Pius I. epistol. 1. & Iulius I. epistol. contra Orientales Episcopos, pro Athanasio, quos etiam capite primo adduximus, colligunt, sacerdotes diuino iure nō à pōtate laica, sed ab ipso Deo per suos Ecclesiasticos ministros iudicādos, & puniēdos esse, sic autem Anacletus scribit. *Accusatio quoq; eorū, super qua nos cōsulere voluistis nō nisi ab idoneis, & probatissimis viris, qui, & suspicionibus, & sceleribus careant fieri debet, quia D.ñs sacri sui corporis tractatores à vilibus, & reprobis, ac nō idoneis personis infamari noluit, nec calūniari permisit, sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes à templo eiecit. Unde liquet, quòd summi sacerdotes, idest Episcopi à Deo sunt iudicandi; non ab humanis, & prauę vitę hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi ipso Domino exemplum dante, quando per seipsum, & non per alium vendentes, & ementes eiecit de templo, & mensas nummu-*

nummulariorum, & Cathedras vendentium proprio euertit flagello, & eiecit de templo; & sicut alibi ait Deus stetit in synagoga Deorum in medio autem Deos decernit) & alibi, (ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes) Nullus enim, vt reor, inuenitur inter nos; qui velit suum seruum ab alio quàm, à se iudicari; Quod si præsumptum fuerit, aut multa ipse indignatione irascitur, aut potius vltionem quærit super eum. Si verò hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus Deorum, & Dominus dominantium, qui vltionem suorum promsit non differre seruorum? Hæc ibi. Vide quoque circa hanc eiectionem D. Hieron. in Esa. c. 5. & 28. & in Thren. c. 2. D. Augustin. lib. 1. retract. capit. 13. D. Gregor. in Ezechiel. homil. 2. & lib. 4. registr. epistol. 51. 55. 56. & lib. 5. epistol. 7. & lib. 7. epistol. 100. & lib. 9. epistol. 40. Item D. Thomam 2. 2. quæstion. 77. articul. 4. & 3. p. quæstion. 44. articul. 3. & in addi. quæstion. 37. articul. 4. & Caietan. in Summa ver. Immunitas, vbi expresse dicit non ex positiuo iure tantum, sed diuino quoque iure omnem iniuriam, & inreuerētiā loco, personis, & rebus Deo dicatis factā, prohibitā esse. B. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 23. scribit, vendentes, & ementes eiectos fuisse propter contemptū, & eorum auaritiam, quę duę causę potissimum militant contra Politicos recentes rerum sacrarum violatores, & corruptores, qui tùm ob cupiditatem

vsurpandi bona Ecclesiæ, atque eius iurisdictiones, tùm in despectionem, & conculcationem sacerdotalis honoris, profanant Ecclesias, iura sacra polluunt, iurisdictiones Ecclesiasticas vsurpant, atque omnia etiam diuina sub laico regimine, Anglicano more, redigunt, atque constituunt: nonne ridiculum, & impium esset, si Christum flagellantem eos, qui sacra profanant, Pseudotheologi impedirent, pellerét, atque fugarent? idem planè faciunt, qui censuram interdicti Pontificij impediunt, vel contemnunt; Sed sciāt incommoda, & detrimenta illa temporalia dispersionis nummorum, mensarum, & ouium, pro nihilo habēda esse, si spiritualia emolumenta, ex Christi flagello, & temporalium rerum eiectione, profecta considerentur.

QVARTVM ARGVMENTVM.

IVstus timor excusat ab inobedientia precepti, ergo & ille excusabit venetos ab inobseruantia interdicti.

RESPONSIO

IAM diximus in hoc casu Venetorum, nullum intercedere timorem iustum, ob quem Episcopi ab īterdicti obseruatione, & Clerici, vel laici ab eius exequtione licitè excusentur, cum certissimum sit, timorem

morem nunquam ab obſeruantia humani pręcepti excuſare, quando ab inobſeruantia præcepti humani ſequitur præuaricatio diuini præcepti : neque enim Princeps, vel Dux mandat non obſeruari interdictũ, niſi ob contemptum poteſtatis Eccleſiaſticæ, & vt oſtendat poteſtatem ſuam temporalem à poteſtate Ecclesiaſtica non dependere, immo Epiſcopos, & Clericos magis ſibi, quam Pontifici obtemperare debere. At potius quis tenetur defendere articulum fidei, & euitare prçiudicium Catholicę religionis, quam bona, vel etiam propriam vitam tueri; hoc enim non ſolum natura docet, nec ſolum eſt pręceptum diuinum naturale, quo obligamur, bonum ſpirituale animę præferre bono corporali, quodque dictat obediendũ eſſe magis Deo bona ad ſalutem neceſſaria per ſuperiores pręcipienti, quam hominibus, qui contra diuina præcepta aliquid iubent; ſed etiam eſt præceptum diuinum poſitiuum in Euangelio à Chriſto expreſsũ dum dixit. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; qui autẽ negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei,* Lucę. 12. & *Qui me confuſus fuerit, & uerba mea in generatione iſta adultera, & peccatrice, & filius hominis cõfundetur eum, cum venerit in gloria patris ſui cum Angelis ſanctis.* Marci 8. Sic enim legitur in Biblia Sixti; Adde quod pręceptum diuinum poſitiuum in ſacris literis habetur, ne legibus cuiuſcúmque principis iniuſtis, & con-

& contrarijs legi diuinę obediatur. Sic definit D. Thomas 1.2.quęſt.96.art.4. vbi ita habet; *Alio modo leges poſſunt eſſe iniuſtę, per contrarietatem ad bonum diuinum; ſicut leges Tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud, quod ſit contra legem diuinam; & tales leges nullo modo licet obſeruare, quia ſicut dicitur Actuū. 4. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Quæ doctrina militat quoque in caſu Venetorum, vt de ſe patet; inducere enim ad contemptum religionis Catholicę, & deſpicere pontificiam poteſtatem, peius eſt, & magis, vel ſaltem ęque nocuum hominibus, & religioni Chriſtianæ, quàm inducere ad idololatriam. Nec ſic reſiſtendo poteſtati peccatur, quia, vt inquit Diuus Thomas ibidem in ſol. ad primum. *Qui contra mandatum Dei aliquid præcipit, non facit id ſecundum ordinem poteſtatis à Deo datum, & inſtitutum; ſed excedit limites rectę poteſtatis, ac proinde illi, ea in re obediendum non eſt*; quod etiam ſcribit in ſol. ad 2. his verbis. *Ratio illa procedit de legibus humanis, quę ordinantur contra Dei mandatum, & ad hoc, ordo poteſtatis non ſe extendit: vnde in talibus legi humanæ non eſt parendum.* Adde, ſed potius vſque ad ſanguinem reſiſtendum, non obſtante quocumque humano ſcandalo, & temporali detrimento, nam maius ſpirituale ſcandalum, & detrimentum quoad fidem, & religionem Chriſtianam naſcitur ex obſeruatione huiuſmodi impij humani præcepti, quam ex eius inobſeruatione; immo ſi ei non pa-

reatur,

reatur, multa lucra fidelibus prę stantur: relucet enim in ea resistentia, insignis obedientia erga Summum Pontificem, perfecta conseruatio auctoritatis Apostolicę, eximia fidei defensio, & ampla propagatio Catholicę veritatis in vniuersum Orbem, quę quidem, vt dictum est maxima sunt bona in Republica Christiana, & hoc tempore, quo hęreses vigent, pernecessaria, ac magni æstimanda.

QVINTVM ARGVMENTVM.

Christianus non debet obedire precepto Papę, nisi prius illud examinauerint Principes, vel Magistratus. An sit conueniens tempori, loco, personis. An sit legitimum, vel obligatorium, etiam, si Papa affirmet suum praeceptum esse iustum, immo etiam si aliquid pręcipiat sub pęna excommunicationis latę sententię. Sic Beræenses, cum Paulo prędicante, sic Iudei christiani cum Petro Cornelium conuertente se gesserunt. Igitur &c.

RESPONSIO

AD hoc quintum argumẽtum respondemus. Antecedens esse temerarium, falsum, & erroneũ; cũ propriũ sit subditorum obedire Prępositis suis, & nõ solũ obedire, sed cognoscere, ac profiteri, se subiectos illis esse, vt inquit D. Paulus ad Hebr. 13.

Quare

Quare Nicolaus Papa in epist. ad Michaelem Imperatorem, cuius initium est Proposueramus, recte cōcludit ex diuina scriptura, & dictis Patrum, non posse eos, qui minoris, & inferioris auctoritatis sunt eū qui maioris potestatis est, iudicijs suis addicere, aut proprijs definitionibus subiugare, & hētur in can. Inferior. dist. 21. Iudicās enim est sublimior eo, de quo iudicat, vt docet D. Aug. in lib. de liber. Arbitrio, vnde dixit Apostolus. 1. ad Cor. 4. qui aūt iudicat me Dominus est. Quo igitur iure inferior insurget, tùm voluntate, tùm intellectu, immo etiam lingua, & operibus aduersus præceptum, & legem superioris, & præsertim supremi? & quis, nisi temerarius, & maxime superbus, audebit *ponere os in cęlum?* est vtique hoc summę inobedientię signum, velle antea examinare, vel perscrutari pręceptum superioris; quemadmodum silentium post impositum præceptum, perfectę obedientię argumentum est, vt notat D. Hier. in epist. ad Rusticum: tunc enim exemplo Moysi internam obedientiam externo silentio declaramus. *Audi*, inquit, *Israel, & tace*. Deuter. 27. sic enim legit D. Hier. vulgata verò lectio habet: *Attende, & audi Israel*, & iterū Deuter. 6. *Audi Israel, & obserua, vt facias, quæ præcepit tibi Dominus.* Nec solum religiosis conuenit hic perfectus, & supremus gradus obedientię, vt sine vlla discussione iubenti Pręposito obediant; sed etiam cuilibet Christiano respectu Summi Pontificis in his, quę

ille

ille præcipit circa fidem, & mores vniuersales in Ecclesia, & correctionem peccatorum, & ea, quæ sunt necessaria ad salutem: omnes enim in his primario, immo magis tenentur obedire Papę, qui est primus superior, quàm cuicumque inferiori; maiori enim potestati magis obediendum est, quàm minori, vt docet D. Thomas 2.2. quæst. 104. art. 5. & quęst. 105. artic. 2. Cuius dicti reddit rationem idem D. Thomas in ar. 1. eiusdem quęst. 104. dicens quod sicut in naturalibus superiora mouent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis à Deo eis collatę; ita in rebus humanis oportet, vt superiores moueant inferiores per suam voluntatem, ex vi auctoritatis diuinitus ordinatę. Mouere autem per rationem, & voluntatē, est præcipere; Quò circa sicut ex ipso ordine naturali inferiora in rebus naturalibus necesse habent subijci motioni superiorum; ita etiam in rebus humanis, ex ordine iuris naturalis, & diuini, tenentur inferiores suis superioribus obedire. Audiant Pseudotheologi D. Basil. in lib. de Constit. Monast. c. 20. & 23. qui loquens de obedientia à suis Monachis, Antistiti præstanda, sic scribit; *Monachi libentissime obtemperent suo Prępposito, nec ab eo eorum, quæ sibi imponuntur, rationem reposcant*, & alibi, *Nihil omnino ipsorum iussa curiosius perscrutando, quando libera sunt à peccato*. S. Hieron. in epist. ad Rusticum, *Credas*, inquit, *salutare quidquid Prępositus pręceperit, nec de maiorum sententia indices*. Cassianus l. 4.

idem D. Bernardus in sermon. ad fratres de monte Dei huiusmodi obedientiam vocat indiscretam, quia nescit discernere, quid, & quarè pręcipiatur. Hac obedientia sine dubio caruit Eua, cùm audiuit Dęmonem dicentem, *Cur pręcepit vobis Dominus &c.* vt notauit S. Chrysostom. Homil. 16. in Genes. Et præfati quoque Pseudotheologi spiritu serpentis imbuti audent persuadere Venetis, in omni præcepto, etiam Papæ, quærendam, & inuestigandam esse causã, & omnia dicta, & facta superioris in examen, & controuersiam reducenda, constituentes seipsos propria auctoritate Iudices cuiuscumque legis, atque præcepti à Superiori potestate emanati. Quod obsecro in Republica politica, vel Ecclesiastica turbulentius dogma statui potest? peruertit hęc doctrina, atque confundit omnem quietem, & tranquillitatem ciuium; omnem rectę, & ordinatæ gubernationis rationem tollit; omnem reuerentiam, & obtemperantiam Principibus subtrahit: Quid ergo mirum, si & Deo, eiusq; Vicario illam denegent? Sed animaduertendum, illos concedere pręcepta Principum secularium non esse discernenda, vel scrutanda, sed absolutè amplexanda, & exequenda. At pręcepta Præpositorum spiritualium, & præcipuè Summi Pontificis, magno cum rigore examinanda statuunt; Quid clarius ad odium pontificię potestatis demonstrandum dici potuit?

Porrò licuit Berœensibus, vel etiam Thessalonicē sibus, qui Bereæ aderant, quibus Paulus prędicabat, Christum pronunciatum à Prophetis, iam venisse, quotidie scrutari scripturas, non animo calumniandi, sed vt viderent, etiam Paulo Annuente an res ita se haberet, Acto. 17. cùm adhuc plenè lumine fidei illustrati non essent, nec scirent, Paulum à spiritusancto motum prędicare; & errare non posse. At Pseudotheologis, quibus notum est, Papam esse Christi Vicariū, & spectare ad ipsum corrigere, & confirmare fideles; quiuè nō ad inquirēdā veritatē iāpridē oībus Christianis notā, & cognitā, sed ad calūniādū, ad cōtēnēdā, & infirmandā petram mouentur, nefas est inquirere, & perscrutari pręcepta Papę, vel alios id docere, & docendo seducere. Hi enim non solum dispiciunt, sed despiciunt, & proculcant superiorū, facta vel dicta. Sed animaduertendum Berœenses, & hos quidem nobiliores, qui erāt Thessalonicę, suscepisse prędicationem, & verbum Dei à Paulo prolatum, cum omni auiditate; Non enim hæc vox, *Auiditate*, cum sequenti verbo, *scrutantes*, sed cum priori, *susceperunt*, connectēda est, contra Caietanum; Authore Chrysostomo; Reges vero, & eorum Pseudotheologos cum omni auiditate, ac studio verbum Pauli, ad Hebr. 13. contēnere, floccipendere, reddere vè illud pro viribus, infirmumq́, & nullius maiestatis, atque virtutis, dum verbum Apostoli, immo, & Christi seculari Duci supponunt, dum

à laicis

à laicis examinandum constituunt, dum terrenam sapientiam diuinæ præferunt: Non suscipiunt, sed reijciunt hi Pontificis auctoritatem: non Paulum, non Petrum amplexantur; sed Machiauellũ, ac Pseudotheologos eius asseclas.

Animaduertendum præterea, quod sicut Berœenses per illud scrutinium disponebantur ad fidem Christi recipiẽdam, & veritatem cognoscendam; Sic Pseudotheologos, & eos qui illos sequuntur per superbum examen quod docent circa præcepta pontificia faciẽdũ, disponi, ac præparari ad hęresim, & schisma introducendũ, cùm supponãt semper, vel vt plurimũ Papã, in suis legibus, atque sententijs errare, iniustũ, vel malum præcipere: O linguę dolosę, atque blasphemę.

Nec Paulus reprȩhendit mandatum, seu præceptũ Petri, sed tãtũ factũ illud, quo Petrus post habitis Gẽtilib. se Iudeis cõiũxit; quod gestũ Paulus ĩprobauit, maius Dei lumẽ hac in re particulari adeptus, propter Gentiliũ offensionẽ. Et licet Petrus potuisset respondere, vt Cyprianus in epist. 71. ad Quintum scribit, se primatum tenere, & sibi potius à nouellis, & posteris obtemperari oportere; tamen consilium veritatis admisit, eximium humilitatis, patientię, atque mansuetudinis exemplum prębens, vt notant D. Hier. epist. 89. ad Augustinum, & D. Gregor. Homil. 18. in Ezechielem.

Similiter ex mansuetudine, & humilitate non ex

debito,

debito, vel necessitate vlla reddidit Petrus rationem alterius facti, nempe, cur Cornelio gentili prędicasset, & manducasset cum illo Act. 11. Nec enim iure poterant Iudęi ad fidem cõuersi causam illius facti quęrere, cùm essent inferiores, ac subditi, & potuisset Petrus respondere, vt ait D. Gregor. lib. 9. Regis. epist. 39. id ad illos non spectare, cùm oues essent sibi commissę, quę Pastorem suum reprehendere non deberẽt. Nulla igitur firma ratione Pseudotheologi probãt, inferiores obligatos esse ad examen pręuium pręceptorum, vel legum superiorum, cùm regula generalis sit, partes inferiorum esse parere, & obedire; Superiorum pręcipere, & mandare. Nec hac in re vllum periculum est errandi, cum inferiores excusentur, nisi palam peccatum pręcipiatur, iuxta illud Pauli ad Titum. 3. *Dicto obedire*. Tenentur autẽ inferiores obedire præceptis superiorum, quando hæc pręcepta sunt de his, quæ sunt necessaria ad salutem, vt inter cętera sunt ea, quę ad peccatorum correctionem pertinent, vt docet D. Thomas 2. 2. quęst. 104. articul. 5. ad tertium, & alibi; qualia sunt ea, quę à Sanctissimo Paulo V. Venetis pręcepta fuere. Inobedientia verò per se, & formaliter sumpta, erga pręcepta Superiorum est peccatum mortale, vt definit D. Thomas 2. 2. quęstion. 105. articul. 1. in corpore, & ad primum, vbi dicit quod quando aliquis pręceptum contemnit, tũc est formaliter, & proprie inobediens. Duplex est autem

tem horum Venetorum inobedientia, non enim solũ prçceptum Papç contemnunt, sed etiam ipse præcipiens eiusque auctoritas, & potestas ab eis contemnitur; quod grauissimum est inobedientię genus, vt definit S. Thom. eadem quęstion. art. 2. quod ostenditur, in hoc facto Venetorum verum esse, quia volũt, & prçcipiunt, & procurant, immo compellunt missas, & officia diuina celebrari, ea ratione, quia Papa de illis posuit interdictum. Diuinis porrò iussis, integrè casteque obtemperandum, eaque in silentio potius, quàm humanis excutienda rationibus, memorabile docet illud, quod de Moyse, & Aaron sacra narrat historia Num. 20. His cum olim Deus ad infinitam suam potentiam mortalibus declarandam, mandasset, vt, quod antea nunquàm auditum fuerat, è durissimo silice aquam copiosè extemplo elicere iuberent. *Tolle virgam, & congrega populum tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & ipsa dabit aquas*: cunctati illi, neque satis dicto audientes, secum ipsi perpenderunt, num tam insigne, tamque admirabile facinus; vnico vocis imperio, sola locutionis vi, verbis solis effici posset; an potius ad id diuinæ illius, tantorumque prodigiorum effectricis virgę ictus adhibendus videretur. Quid multa? Adhibent, silicem cędunt, eodemq; tempore & copiosus emanat liquor, *Egressę enim sunt aquę largissimè, ita vt Populus,*

biberet,

biberet, & iumenta; & prępotentis Dei vtrumque pertetigit vltio. Quos enim Hebræorum Duces fore, primosque in beatissimam Regionem illam, sępius iam ante promissam, bonisque omnibus affluentem penetraturos esse pollicitus fuerat, repente mutata senten tia exules, extorresque pronunciat. *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filijs Jsrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis &c.* Abstineāt igitur Pseudotheologi ab huiusmodi documentis, nec persuadeant Dei, ac Superiorum Ecclesiasticorum, qui sunt Dei ministri, præcepta, vana curiositate, immo expressę inobedientię spiritu examinanda, & agitanda esse; cùm id summopere Deo displiceat, & ingratum sit: Audiant verba Innocentij in cap. Inquisitioni, circa fin. de sen. excom. *Sed tamen*, inquit, *excōmunicationem semper obseruet, quia cùm in potestate Papę sit Ecclesia militans, & ad eius mandatum debeant Sacramenta ministrari, nullus contra eius mandatum debet se immiscere:* Audiant rursus, verba Lucij III. in cap. Ad Aures de temp. ordi. *Honestius, & tutius est subiectis debitā Prępositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deseruire, quàm cum præpositorum scandalo graduū appetere dignitatem.* Audiant postremo sententiam Hugonis de sancto Victore, qui lib. 2. par. 2. de sacramentis fidei inter cętera vitia potestatis terrenę, & secularis illud enumerat, quod pręsumat examinare negotia Ecclesiastica, & illa examinanda suscipiat.

Sextum

SEXTVM ARGVMENTVM.

HOC interdictum est quędam violentia, & vis facta Venetis, contra quam licitum est vnicuique illorum omnibus viribus, ac vijs se defendere. Igitur &c.

RESPONSIO

PRębere medicinam ęgroto manifestum est, nullã esse violentiam, nec vim vllam ei inferre, sed maximam esse charitatem, & iustitiam ex parte medici, qui ad munus, & officium curandi infirmos est deputatus. Sic etiam Summum Pontificem contra inobedientes, & contumaces, pęnas censurarum infligere, & proferre illas, vt medicinas quasdam ad cohibenda peccata, vt definit D. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 7. ad primum. Atque hac eadem causa pęnę censurarum non solum charitatis, sed etiam iustitiæ rationem habent, saltem ex parte ferentis, in quantũ per eas peccata prohibentur, & corriguntur, vt ibidẽ D. Thom. Neque vlla intercedit violentia, vbi nullius ius lęditur, neq; enim Veneti ius habent, propria potestate carcerandi Clericos, præsertim in dignitate, vel in sacris constitutos, vel prohibendi, ne Deo, & eius Ecclesię immobilia relinquantur, & similia. Doceant, & ostendant à quonam illud receperunt. Non

quidem à Deo; cum contra ipsummet Deum, & eius præcepta, vel ordinationes tale ius sit. Quę enim inordinata, & contra naturalem, & diuinam rationem sũt, à Deo esse non possunt: qualia sunt iura contra Clericos, & bona Ecclesiastica ab eis ex natura libertatis Reipublicę prætensa: At quì nec Reges, nec Imperatores, qui maiori potiuntur Auctorite, id prętendunt: immo aliquando cum sibi huiusmodi iura vsurpassét de facto; ea tandem tãquã ipsis indebita Ecclesię restituerunt, contrarias leges ab eis sancitas abrogãdo, vt in Auth. statuimus C. de Episc. & Cleric. Auth. Cassa, C. de sacro. Eccles. Certum igitur est hanc libertatem cõtra personas Clericorum non esse à Deo, nec à natura, cùm Deus, & natura contrarium pręcipiant, cap. Quanquam de censibus in 6. Non item à Papa; cum id in vniuersum ostendere non possint; Et priuilegijs quibusdam à nonnullis Pontificibus circa carcerationem Clericorum (non tamen eorum, qui in dignitate Ecclesiastica sunt constituti, vel etiam ordinibus sacris insigniti) in atrocioribus, & in Ciuitate tantum Veneta, & quò ad eorum ciues dumtaxat cõcessis, iam tempore Iulij II. cesserint, & renuntiauerint, immo cum iuramento tunc promiserint, se de cętero libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam nullo modo violaturos, vt patet ex Vicciardino lib. 8. Hist. in extremo, & ex alijs monumentis, quę in Archiuio Romano Pontificio conseruantur. Quę verò dein

de

de à Clemente VII. & à Paulo III. concessa fuere, nihil habent commune cum causa, de quà agitur in literis monitorij Sanctiss. Papæ Pauli V. cum priuilegium Clementis obtentum anno Domino MDXXIX. solũ comprehendat Clericos ordinum minorum, qui tamẽ beneficia Ecclesiastica non obtinuerint; hoc autem Pauli III. ad solos Clericos Venetæ Ciuitatis, & eius Diœcesis extendatur. Quarè necessario fateri debẽt, à se ipsis, & per se ipsos huiusmodi iniustam, & illegitimam iurisdictionem, in casibus non expressis à Summis Pontificibus, vsurpasse, ampliasse, & dilatasse. Quod si in hoc à moderno Summo Pontifice corrigãtur, nulla eis fit iniuria, nullum eorum legitimum ius lęditur, nec consuetudo etiam longa, si qua est, eis legitimè, ac iuridicè, hac in parte suffragatur, cùm ius Diuinum, & consequenter libertas, seu immunitas Ecclesiastica, in quo hæc fundatur, omnem pellat contrariam consuetudinem, & abusum, neque enim Ecclesia Dei talẽ consuetudinẽ habet, neq; unquã ab initio habuit, vt alibi à nobis copiose, & ab alijs quoque scriptoribus sapiẽter demonstratum est; nec post celebrationem Concil. Tridentini priuilegium aliquod ostendere possunt de ea re, de quà agitur: Innouantur autẽ in illo omnia decreta aliorum Conciliorũ circa immunitatem Ecclesiasticam emanata; at in Conc. Lateranen. sub Leone X. sess. 10. oĩs contraria consuetudo tollitur, & amouetur; quod etiam Summi

Pontifices quolibet quoque anno in Bulla Cœnę Domini faciunt, quod omnem præsumptionem taciti cōsensus, quem aduersarij forsan adducere possent, planè excludit. Nec iuuat dicere, Christū in terra nō exercuisse, nec Petro tradidisse Potestatem temporalem: Hoc enim, & alienum est atque remotum à materia, de qua agitur; & falsum omnino. Pontificia enim potestas supremam continet ex Christi institutione, auctoritatem, & iurisdictionem non solum spirituale͂, vel circa spiritualia; sed etiam temporalem, vel circa temporalia in toto Orbe; ex causa fidei, religionis, correctionis peccatorum, & salutis animarum: Atque id de fide est, Ioan. 21. *Pasce oues meas*, vt superius indicatum est.

SEPTIMVM ARGVMENTVM.

DVx Venetorum ad confirmanda, & tuenda omnia iura Reipublicę, tàm naturalia, quàm acquisita independenter, & immediate à Deo potestatem habet; Igitur &c.

RESPONSIO

AD septimum dicimus, Ducem Venetorum nullam immediate à Deo recepisse, vel recipere authoritatem, vel potestatem erga suos subditos; sed sicut à Populo, seu Repub. aliquis de Republica,

ta, vel senatu eligitur in Principem; sic ab eodem Populo, seu Repub. suam authoritatem, & potestatem recipere, ac ius gubernandi, & regendi ab ipsamet Repub. immediate dependere, & in illum translatũ esse, vel integrè, & in totum, vel pro parte; prout ipsi Reipublicę, seu Senatui libuerit. Solius Summi Pontificis hoc maximè proprium est, vt licet eligatur, seu declaretur persona electa à Cardinalibus, potestas tamen pontificia non ab illis, sed à Christo immediate ei tribuatur; cum Christus in sua prima institutione, & concessione facta Petro, non solum Petro, sed etiam Petri successoribus dederit claues Regni cęlorum, necnon potestatem pascendi oues suas Ioan. 21. Non enim Summi Pontifices à Petro; sed à Christo potestatem immediate recipiunt Ecclesiam gubernandi, nõ noua traditione sed antiqua institutione in Petro, pro ipso, & suis successoribus facta, licet à Christo per Petrum ad eius successores transfundatur, & deriuetur: quæ phrasis significat Summorũ Pontificum ab eodẽ Petro successionẽ, quę est etiam de iure diuino, & ex Christi institutione, cũ Christus in Petro instituerit Pontificatum perpetuum, & duraturum vsque ad finem mundi.

Verum potestas illa laica, & secularis, cum verè à Deo sit, mediate tamẽ, (*omnis enim potestas à Deo est* ad Rom. 13. & sap. 6.) ita ordinata, & inalterabiliter, ac benè disposita esse debet, vt illis statutis, legibus, ac

mediјs

medijs ad finem boni regiminis politici utatur, quę diuinis pręceptis contraria non sunt; aliàs talis potestas à Deo non esset, nec ordinata, sed inordinata existeret. Inter diuina vero pręcepta illud potissimum est, vt superioribus, hoc est, Ecclesię, Pręlatis nempe, ac in primis Summo Pontifici, prout Christus in Euangelio Matth. 18. & Ioan. 21. declarauit, à Christianis obediatur. Ita docet. S. Thom. 2. 2. quęst. 105. articul. 1. Licitum igitur erit Principi iura naturalia, ac legitime acquisita suę Reipublicę, tueri per ea media, quæ secundum Deum sunt, & diuinis, atque Ecclesiasticis pręceptis non aduersantur: contra vero illicitum erit iurisdictiones Reipublicæ promouere, atque defendere illis vijs, quæ Ecclesiasticis, ac diuinis pręceptis repugnant. Neque enim, quod contra voluntatem Dei est, bonum, vel secundum Deum esse potest. Quod si his medijs vtatur Princeps, vtique à Romano Pontifice benigne adiumenta recipiet ad legitima sua iura tuenda, & amplianda, vt erga pios, & Religiosos Principes, etiam Venetos, Ecclesia Romana sępissime facere consueuit. At vero si iniquas leges condunt, si criminibus fauent, si peccata pręcipiunt, si vitia nutriunt, si Ecclesias expoliant, si ministros Christi persequuntur, si sacros canones spernunt, si excommunicationem non timent, si hæreticis locum,

num, & cathedras concedunt, si simonias, vsuras, adul teria, & alia enormissima flagitia etiam publicè commissa, impunita relinquunt, nec puniri ab alijs, quos decet, permittunt; an non debent à Summo Pastore corrigi, puniri, castigari, priuari, maledici, excommunicari, & interdici? Ita præter alios iam citatos Hugo de S. Victor rectè affirmat in li. 2. par. 2. cap. 4. de Sacramentis fidei. *Spiritualis*, inquit, *potestas, terrenam potestatem instituere habet, vt sit: et iudicare habet, si bona non fuerit*. Ita quoque egregie Soto in 4. distin. 25. q. 2. ar. 1. con. 5. Et sciant, *durum esse contra stimulum calcitrare*; sciant etiam, portas inferi, & omnem humanam, ac diabolicam potestatem aduersus Petrum præualere non posse: sciant eos, qui in hanc petram impingunt, frangi, conteri, minui, ac in minutissima fragmenta dissipari, Matth. 21.

Nec potestas laica, quæcumque illa sit, independens dicenda est, si finem supernaturalem, & Christianum respiciat, & ad illum, vt par est, immò his, qui Christianam legem profitentur, necessarium, dirigatur; sed illam à potestate spirituali, & Ecclesiastica dependere, regi, atque moueri necessario fatendum est; cum omnem Christianum Romano Pontifici in his, quę necessaria sunt ad salutem, & in illis, quæ fidem catholicam, & religionem, & guberna-
tionem

tionem Christianam, necnon morum correctionem, & peccatorum punitionem concernunt, subesse, & ab illo dependere necesse sit, vt fusissime probat, & certissime definit B. Thom. opusc. 1. cap. 66. & Bonifatius VIII. in extrauag. Vnam sanctam §. Porrò subesse. Nec solum honore, & dignitate sed etiā tempore, ac depēdētia, terrena potestas spirituali inferior est, vt egregie docet Hugo de S. Victore loco pauloante adducto his verbis: *Quòd autem spiritualis potestas, quantum ad diuinam institutionem spectat, & prior sit tēpore, & maior dignitate: in illo antiquo veteris instrumenti populo manifeste declaratur: vbi primum à Deo sacerdotium institutū est postea vero per sacerdotium, iubente Deo, regalis potestas ordinata: Vnde in Ecclesia adhuc sacerdotalis dignitas potestatem regalē consecrat, & santificat per benedictionē, & format per institutionem. Si ergo (ut dicit Apostolus) qui benedicit maior est, & minor qui benedicitur: constat absque omni dubitatione, quod terrena potestas, quæ à spirituali benedictionem accipit, iure inferior existimetur.* Hæc ille.

Tueatur igitur sua iura naturalia Princeps, vel Respublica, quatenus ordinationi Dei, quę disponit, vt temporalia subsint spiritualibus, non resistāt: iura vero acquisita per nonnulla prætensa priuilegia; per alios Summos Pontifices, & per generalia Concilia reuocata, vel immutata esse, absque dubio censenda sunt: vsurpata verò iura, & iurisdictiones etiam eorū decreto confirmatas quas bisce censuris Ecclesiasti-

cis,

cis,dequibus agitur,ligati fuere,vt sunt illę, quę immunitates Ecclesiasticas respiciunt, tamquā illegitimas,& iniustas, cùm nullū naturale, iuridicum, & honestum fundamentum habeant, immo diuino, naturali,& Ecclesiastico iuri aduersentur,antè omnia cassare,tollere,& annullare debent, si à morte, & fętore quatriduano liberari cupiunt; Neq; enim Lazarus iā sepultus,nisi remoto prius lapide,resuscitatur.

Decreta autem, siue statuta, & leges illę Venetię cōtra libertatē Ecclesiasticam latę,ex se ipsis nullas, & inualidas esse,nulliusq; roboris,& momenti, tripli ci euidentissima ratione ostenditur. Primo ex defectu potestatis,& iurisdictionis,cùm laica potestas, vt sic, nullū ius habeat in personas, bona, & res Ecclesiasticas, & earum dispositionē,nec possit ea potestas, quæ nō est Ecclesiastica,sed laica,& ciuilis, ferre leges circa res,& personas Ecclesiasticas; nulla enim facultas excedit vires naturæ suæ : quod etiam in simili casu ob eandem causam iudicatum fuisse refert Franciscus Cęlius,in tract.de immun.& liber.Eccles. de legibus ab Alphonso III. Portugallię Rege,contra Ecclesiasticos Regni latis. Hoc autē ius Christus nō Duci,vel Senatui,sed Petro, eiusque successoribus dedit Ioan. 21. vt sępe demonstratum est.Secundo ex defectu cōgruę,& necessarię materię;id enim, quod malum est, atq; peccatum,& contra ius diuinum,naturale, & Ecclesiasticum,non potest esse opportuna materia iustæ

legis, etiam ciuilis, & politicę, & iusti decreti. Vnde Aug. epi. 50. ait. *Quicũq; legibus Imperatorũ, quæ cõtra veritatẽ Dei feruntur, obtemperare non vult, atquirit grande prẹmium, &c.* Tertio ex defectu honesti finis, qui ad validitatem legis omnino requiritur, ita vt bonum cõmune ciuium respiciat: finis aũt politicę Reipublicę Christianę ille constituendus est, qui non sit cõtrarius, saluti animarũ ciuiũ, & bono spirituali vniuersitatis: si. n. finis aliquis prẹscribatur cõtrarius legi Euãgelicę, ac cõsequẽter legibus põtificijs, & sacrorũ canonum, & Cõciliorum decretis, vtiq; talis finis Ethnicus, & profanus esset, atq; alienus à Christiana religione: finis enim ciuilis Reipublicę, nõ debet deuiare, à fine Christianæ religionis, cùm ille ad hũc per se referatur, & ordinetur, eiq; inseruire teneatur, vt optime declarat Soto. Quę tria in casu Venetorũ, cõcurrere nemo in toto Orbe Christiano hodie ignorat. Nec ciuilis Respublica, ẽt si supremã in tẽporalibus hẽat põtatẽ, si Christiana intelligatur, est, vel esse põt libera indepẽdẽter à Christo, & à Papa; Sed eis subordinata atq; subiecta, in ordine ad spiritualia, & alia tẽporalia spiritualibus annexa, vel ab eis quomodolibet dependentia, vt egregie demonstrat Soto in 4. distin. 25. q. 2. art. 1. con. 5. Et qui contrarium implicite, vel explicite sentit, hẹreticus est, & vt hẹreticus condemnandus, & puniendus: Potestas vero Pontificia, quę data est ad Ecclesiæ ædificationem, & non ad destru-

destructionem, ex officio debet has politicas, & falsas sententias, vt hęreticas condemnare, euellere, & eradicare: has enim destruere, tanquam dęmonis, munitiones. 2. ad Cor. 10. est Ecclesiam edificare.

OCTAVVM ARGVMENTVM.

MVlti Principes seculares interdicto Pontificio pluries restiterunt, nec illud in eorum Dominio publicari, vel obseruari permiserunt. Igitur à simili &c.

RESPONSIO

EST hoc argumentum indignum bono theologo, vt ex malis factis, ac iniquis exemplis ad rem aliquam firmandam, & ad contradicendum pontificię sententię, & præcepto, argumentum petatur: pręterquàm quòd, vt superius docuimus, non ab exemplis, sed à legibus iura, & probationes petendę sint. Porrò non obseruatum fuisse interdictum in aliquibus regionibus, frigidissimam Religionem illorum Principum, vel populorum arguit, sicut contra, feruentissimę pietatis Christianę signum est, obseruationi, seu executioni demandasse; quod in plurimis Orbis Christiani partibus sępe sępius accidisse, nempè in Polonia, Gallia, Hispania, Sicilia multi probati Authores referunt, vt primo capite

 ostensum

ostensum est. Atqui recte dixit Salomon Prou. 3: *Ne ęmuleris hominem iniustum, nec imiteris vias eius, quia abominatio Domini est illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.* & cap. 4. *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via; fuge ab ea, nec transeas per illam: declina, & desere eam.* Audiant Pseudotheologi, quę deceant bonos Principes, qui imitatione digni sunt ex D. August. sententia in epistol. 50. *Aliter seruit*, inquit, *Rex Deo, quia homo est aliter quia Rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter; quia verò etiam Rex est, seruit leges iusta pręcipientes, & contraria prohibētes conuenienti vigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias lucos, & templa idolorum, & illa excelsa, quę contra pręcepta Dei fuerant constructa, destruendo: Sicut seruiuit Rex Iosias, talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam Ciuitatē ad placandum Dominum compellendo. Sicut seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabuchdonosor omnes in Regno suo positos à blasphemādo Deo lege terribili prohibēdo. In hoc enim seruiunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, cùm ea faciunt ad seruiendum illi, quę non possunt facere, nisi Reges.* & paulo post addit. *Quis mente sobrius Regibus dicat; Nolite curare in Regno vestro, à quo tueatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non ad vos pertineat in Regno vestro, quis velit esse, siue religiosus, siue sacrilegus, quibus dici non potest, non ad vos pertineat in Regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus*

dicunt: Cur enim, cum datum sit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? Hęc ille. Nauarrus c. 27. nu. 174. in suo Manual. refert in Gallia pauca interdicta poni; in Castella verò infinita ferè interdicta promulgari; in Lusitania verò pauciora, etsi plura, quàm in Gallia. Legimus quoque in Vita Marini Georgij Ducis Venetorum, qui regnauit anno Domini MCCCIII. per decem annos Venetos Ecclesiastico interdicto suppositos fuisse, & nō nisi maxima peracta penitentia à Papa absolutos: & sępe aliàs. Honorius quoq; III. ob Regias leges cōtra libertatem Ecclesiasticā latas, Lusitanię Regnum interdicto subiecit, & non nisi rescissis, & reuocatis iniquis legibus, illud relaxatū fuisse, testatur idē Cęlius.

En igitur Pseudotheologorum fundamenta facili negotio diruta, ac subuersa, adeo vt vniuersam eorum doctrinam, quę illis hęrebat, deiectam, profligatā, & dispersam esse, ab omnibus palàm cognoscatur. Sed quod doctrinis omnino persuadere non possunt, mendacibus quibusdam benedictionibus vulgo propositis, simplices, atq; ignaros in suam opinionem atq; sētētiā inducēdo, obtinere desudāt. Quocirca oportunè nobis hoc postremo capite demōstrandum erit, falsas omnino esse eorum benedictiones, & Dei maledictionē super eos, qui dilexerunt eā; iam venisse, & veris benedictionibus illos prorsus carere, qui à Christo, & eius Ecclesiæ obedientia elongati sunt.

CA-

CAPVT DECIMVM.

De falsis benedictionibus, quas Pseudotheologi excommunicatis, & interdictis promittunt.

FALSO, ac temerario, imò hæretico spiritu Pseudotheologi promittũt fęlicitatem, & benedictioné illis, quibus Christus, Petrus, ac Paulus V. maledicunt per excommunicationis, & interdicti censuras, illud Ps. 108. vsurpantes, & irrisoriè contra censuras à Sede Apostolica latas applicantes, *Maledicent illi, & tu benedices.* Est enim propriũ hęreticorum, & eorum, qui spiritum erroris imbiberũt, vera falsis, & bona malis miscere, vt docet D. Greg. li. 5. Moral. c. 11. Miscét enim mala bonis, vt ex malis bona inficiant, & per ea, quę sunt bona, suos errores tegant. Si enim sola falsa, & mala scriberent, ab omnibus reijcerentur, si sola vera, & bona, hęretici non essent, à quibus nec vera recipiẽda sunt, cũ hostes sint veritatis, quę vt in eorum libris legitur, magis obest, quã prodest. Atq; ideo loca sacrarũ scripturarũ ad suas falsas doctrinas cõfirmãdas, adducũt, vt per ea fidẽ sibi acquirãt, & falsis eorũ doctrinis populi deindè credãt. Ex scripturis enĩ sacris malè intellectis, & perperàm

rãm interpretatis, vel etiam derisoriè applicatis, & scurriliter detortis omnes hęreses ortę sunt, vt tradit D. Hilarius in extremo lib. de Synod. Lege Concilium Trident. sess. 4. in decreto de vsu sacr. libr. §. Post hæc. Sunt sanè verba illa à Propheta prolata, vt Iudęorum in Christum blasphemias, machinationes, imprecationes, ac denique omne genus infęlicitatis, quod contra illum exoptabant, & effutiebant, aperiret. Ita Basil. Hier. August. Euthym. & alij in eund. psal. At verò Deus Pater hæc omnia in filij sui gloriam conuertebat; hic est enim sensus literalis illius sententiæ, nimirum (vt benè Genebrardus notat) Maledictis, & maleficijs obruent me, Christus ad Patrem loquitur: tu verò ista omnia in mea commoda, & felicitatem conuertes; machinabuntur illi multa opera contra me, & verbis, & factis: at tu mihi è contrario verbis, factisque fauebis. Quid igitur ad causam Venetorum cum Paulo V. verba hęc psalmi faciunt, nisi extortè, ac peruerso sensu, immò hęretica intelligentia accipiantur; quasi velint Pseudotheologi Pontificem cum Iuda, & Iudæis comparare, & illum Iudæos imitatum fuisse confingant: nec non maledictiones Pontificias per censuras latas esse irritas, nullumque effectum in Venetos facere per ironiam, & irrisionem doceant. Est hæc interpretatio, seu applicatio contra Christi verbũ, *Quodcumq; ligaueris super terrã, erit ligatum & in cęlis*

Matth.

Matth. 16. Quæ quidem applicatio est in iniuriam, & contemptum clauium prolata', vt significent sententiam sui pastoris nullius esse virtutis, nullum valoré, nullamq; vim effectiuam habere, nec in cęlo, nec in terra ligare. O summa perditorum hominum blasphemia? O impium iniquorum hęreticorum dogma? Sed profectò egregiè D. Augustinus in eundem locũ psalmi ait, vanã, & falsam esse omnem maledictionem filiorum hominum diligentium vanitatem, & quęrentium mendacium. Est sanè horum perditorum hominum non solùm maledictio, sed etiam quęcumq; benedictio, si qua fingi posset, futilis, inanis, irrita, ac vana: quemadmodum & Lutheranorum benedictio leuis, & nullius momẽti, immò hęretica est, dũ cibos vetitos, ab Ecclesia, benedicũt, & comedũt; Quę quidẽ benedictio inquinat animã, cũ cibis ex sui natura bonis, malo animo, nec mẽte integra, vt loquitur Origenes lib. 8. contra Celsum, fruantur. At maledictio, quę ex authoritate Christi profertur in delinquentes, irrita, & frustratoria esse non potest, nisi verbum Christi euacuetur, nisi uis Crucis Christi pereat, & arescat; nisi denique Deus mentiatur; nisi cęlum', & terra mutentur. Sed transeat cęlum, & terra, verba sanè Christi transire non possunt, Lucę 21. Discant verò clarissimi Veneti, non ab huiusmodi Pseudotheologis, sed ab ipsis paginarum sacrarum libris, & innumerabilium historiarum monumentis, veras illas, ac terribiles,

ribiles, quas incurrunt excommunicati, maledictiones. Chore, Dathan, & Abiron surgunt contra Moysem: atq; illud ipsum, si illorum verba attentius perpendantur, Moysi obijciunt, quod Paulo V. Summo Pontifici Veneti à Pseudotheologis seducti. *Sufficiat* inquiũt illi, *vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur eleuamini super populum Domini?* Sufficiat, inquiunt & hì, tibi Paule, quia omnis Princeps à Deo est, & immediatè sine vlla exceptione potestatem à Deo accipit; cur eleuaris super Principem, & Remp. Dei? Cadit statim Moyses ante Dominũ, & in eos impetrat à Deo suppliciũ, cuius meminisse horret animus. Mane separat illos, ac iubet stare seorsũ à reliquo populo Israel, dicam vno verbo, excommucat; Excommunicationem repentè sequitur illorum interitus, neq; consueta hominum morte, sed *dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorũ: descenderuntq; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Maledixit Petrus Ananię, & Saphirę. Nũquid benedixit illis Deus? ante pedes Petri vterq; cecidit, & expirauit. Neq; verò Corinthium illum solum, quem Paulus excommunicauit, traditũ sibi satanas afflixit diù, ac vehementer; nam & Stiliconis amanuensis (Paulino teste) ab Ambrosio excommunicatus, fędè à Dęmone est laceratus. Hęc profectò terribilia clarissimos Venetos perterrefacere debent.

bent. Terreant eos pręterea horrenda illa in Principes, ac Reges excommunicatos iudicia, quale Anastasij Imperatoris fuit, qui ab Anastasio Pontifice excōmunicatus, fulmine extinctus est. Heriberti Parisiorū Regis, qui eiectus à S. Germano, quod repudiata vxore duas sorores duxisset, miserando fato consumptus est. Nantini Engolismorum Comitis, qui ob vsurpata Ecclesię bona anathemate ab Heraclio Episcopo cōfixus, eo defuncto ardenti febre vexatus, & se ab Heraclio exuri vociferans, cute vndiq; ater factus miserum spiritum exalhauit: Othonis è Teutonicorum Rege Cęsaris facti, qui ab Almifico filio Moguntino Episcopo excommunicatus, quòd Adalahidem Italię Reginam, quę sibi commater extiterat, duxisset, & ante tribunal Dei ad Pentecostes diem citatus, die dicta in templo inter medios Pontificum choros procerum vallatus agminibus, repentè mortuus est. Terreant & mira illa, quę vi anathematis sępius in alijs contingerunt, qualis illa sacerdotalis in chorizātes in diocesi Magdeburgensi maledictio, quæ eos annū integrum saltare, sine cibo, & somno coegit, non prius cessaturos, quàm ab Hereberto Coloniensi Episcopo absoluti, partim mortui sunt, partim pęnam mēbrorum tremore prodiderunt; Ita Naucler. generat. 34. Legitur quoq; in Prato spirituali c. 145. Clericū sancti Eleutherij à Gennadio Patriarcha verbis, ac censuris monitum, ad hanc eius ad sanctum Eleutherium

precem,

precem, *Aut emenda Clericum tuum, aut abſcinde,* protinus expiraſſe. Quod ſi huiuſmodi documentis Veneti non moueantur, nunquid ad verba Clementis li. 2. Conſtit. cap. 21. non perterrefient, & contremiſcent? *Continuò,* inquit ille, *vt aliquis ex Eccleſia eiectus eſt, accedere ad eum truculentos lupos, illius interitum quęſiui habentes, quia Pater eorum Diabolus homicida ſit.* Hęc omninò eos mouere debẽt; ſi quid tamen in eis luminis, ſi quid hominis eſt, ſi non perditi prorſus, atq; etiam deplorati ſint. Redeant ad cor tandem ò miſeri, & tardi corde; & quid ſit flammeo Cherubini gladio de paradiſo deijci, Geneſ. 3. Quid extra Caſtra mitti, Numer. 5. Quid profugum vagari cum Cain, Geneſ. 4. Quid extra Synagogam fieri, Ioan. 9. Quid vinctum debitorẽ manibus tortorum tradi, Matth. 18. & in tenebras exteriores proijci, Matth. 22. Quid palmitem à vite abſcĩdi, Io. 15. Quid maledicta ficus, Matth. 21. Quid traditi Diabolo Iudas, inceſtus Corinthius, & deſertores illi Alexander, & Hymenęus ſint Io. 18. 1. ad Cor. 4. Quid deniq; verba illa ſibi velint: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi, tanquã Ethnicus, & publicanus,* Math. 18. aliquando cognoſcant. Caueant, ne penitus induant *maledictionem* Dei, *ſicut veſtimentũ*, quæ prorſus ſemper eos detineat, & nunquã ab eis abſit, vt Euthymius in expoſit. pſal. 108. interpretatur; Nec ſinant per obſtinationem duriſſimam, ingredi maledictionem vehementer, *ſicut aquam in interiora eorum,* nõ

enim tantum exterius huiusmodi maledictio eos circundabit, sed ēt intrinsecus quoad animam ea imbuti erunt; Nec rursus sinant eam vlterius penetrare, *tanquam oleum in ossibus suis*; sicut enim per aquam maledictionis vehementia ostenditur, ita per oleum difficultas in abluendo, & consequenter illius diuturnitas, vt ibidem egregie notat idem Euthymius. Recolant, quod Malach. 2. scriptum est, *Si non audieritis, & si non posueritis in corde vestro, vt detis honorem nomini meo, dicit Dominus. Immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem vestram*, vel, vt vulgata legit, *maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam nō posuistis super cor.* Sciant Cham ob honoris paterni despectionem perpetuo fuisse à Deo maledictum. Genes. 9. Sciant scriptum esse Exod. 12. diuinum preceptum: *Principi populi tui non maledices.* Quod si Abrahā, tanquam magno Patri à Deo dictum fuit. *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi*, quòd ex eius semine Christus Dominus nasciturus erat, vtique etiam certo credendum est, Deum his, qui Christi filij sui Vicario benedicunt, benedicere, maledicentibus vero illum maledicere. Recolant tūc filios Israel altare prophanum erigendo, vitulum adoraſſe, cùm choros, Symphonias, saltationes, ludos, & choreas, agerent, dumque cibos dulces, falsasque benedictiones, & consolationes reciperent; *Sedit*, inquit scriptura, *Populus manducare, & bibere, &*

surre-

surrexerunt ludere. Caueant à mitissimi viri Moysi, ob diuini honoris zelum, & ęmulationem ira, qua motus non solum proiectis in terram tabulis, quas manu gestabat, sed etiam confractis illis, ac penitus ad radicem montis comminutis, & vitulum combussit, & quasi triginta millia hominum gladio occisionis tradidit; Sic Sixti V. Biblia habent. Animaduertant, nec etiam ipsum Aaronem tanti peccati pęnam effugisse; licet enim intercessione Moysi culpa ei remissa fuerit, vt ait D. Chrysostom. lib. 5. de sacerdotio. *Parum enim*, inquit ille, *absuit, quin periret nisi fratris patrocinium Dei iram auertisset*: tamen pęnam illius sensit, præter enim reprehensionem à Moyse receptã, fuit deinde Aaron propter vituli conflationem à Deo punitus, sed occultè, ad Populi vitandũ scandalum; cum eorum Pręlatus futurus esset. Exod. 40. vt docet D. Thom. in 4. distin. 46. quęst. 2. art. 2. quęst. 2. ad 5. sicut etiam propter sacerdotij honoré, nec palam lepra percussus fuit, vt Maria eius soror, vti notauit D. Chrysostom. Homil. 4. in epist. ad Colossen. Quod si negocium reconciliationis filiorum Israel confectum non fuit, sine tabularum, in quibus diuina lex iustissima sanctissimauè exarata erat, fractione; Quod tamen iusto Dei iudicio factum fuit, sic illorum incredulitatis exigente causa: quanto minus delinquentium Venetorum pax, & conciliatio cum sede Apostolica, fiet, nisi prius

(id

(Id enim neceſſario prerequirit, iuſtitiæ, & pęnitentiæ ratio) fractis, laceratis, & conuulſis eorum decretis, & legibus, in quibus tam iniqua, & iniuſta continentur? Vtinam ęmulentur Veneti veras benedictiones, quas Dominus copioſiſſime largitus eſt Glorioſo Duci Venetiarum, cui B. Ioannes Papa VIII. epiſtolam ſcripſit, quę eſt nu. 20. inter eius epiſtolas, in qua gratias agens, quòd Apoſtolicę ſedis miniſtris paruerit, ſic legitur: *Gratias glorię tuę pro benigna deuotione tua referimus, quã non ſolũ verbis ſed & operibus, erga nos ſtudioſè declaras, & frequẽter oſtẽdis; & ideo nos paterno circa te detinemur affectu, & in his, quę ad tuam, tuorumq; pertinere, ac prodeſſe vtilitatem cognoſcimus prompti, et benigni ſemper eſſe curabimus: ita vt in diuinis pręceptis, ſacriſq; canonibus impedire intentionem, & ſanctionem noſtrã nunquã conſentias, ſed cum tibi de rebus Eccleſiaſticis quicquã iniũgimus, ſicut deuotus filius nos obaudias, & adimplere, quę dirigimus, alacri sẽper animo ſtudeas; quoniam nos tanto in cauſis tuis, & vbi tibi opportunitas fortasſis euenerit, promptiores tecum nos eſſe, ac benigniores inuenies, quanto te nos nolle à mandatis Dei aliquo modo auertere, manifeſtius viderimus &c.* Hæc ſigna feruentiſſimę religionis auiti Veneti pręſtiterunt; eorum fidem, pietatem, & religionem moderni non deſerant, nec contrarijs factis priſtinam ſanctitatem condemnent, vel deteſtentur. Recolant quod ſcripſit B. Cyprianus epiſtol. 55. primus gradus felicitatis eſt, non delinquere: ſecundus

dus delicta cognoſcere. Imitentur Veneti obedientiã Romanorum, de qua Paulus ſcribit, *Veſtra obedientia in omni loco diuulgata eſt*. Nec à Pſeudotheologis permittant ſe faſcinari. Recte vero idem Apoſtolus ad Rom. 16. horum Pſeudotheologorum fallacias, quibus populos decipiunt, detegit, his verbis; *Rogo autem vos fratres* (ſic etiam clariſſimi Veneti à nobis enixe rogandi ſunt) *vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam, quam uos didiciſtis, faciunt, & declinate ab eis: huiuſcemodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium*. Nil aptius contra Pſeudotheologos à D. Paulo dici poterat. Quod autem noſtra lectio habet, *per benedictiones*, græcè eſt, eulogias, ideſt adulationes, & aſſentationes, id enim verbum græcum, eulogin, ſignificat; ſicut etiam illud, *dulces ſermones*, ex voce græca, Chriſtologias, blandiloquentia intelligitur, per quam ita verba compoſita proferuntur, vt humanis deſiderijs grata ſint, & appetitibus vanis ſatiſfaciant; non autem hominum morbis ſpiritualibus medeantur, & quod Apoſtolus appellat, innocentes, in græca lectione habetur, ſimplices, & doli expertes, Anacon, ideſt, ſine malitia, qui facile ab huiuſmodi doloſis hominibus ſeducuntur. At, quænam benedictio proficiſci poteſt ab his, qui à ſacraméto benedictionis exauctorati ſunt? ſic Tertull. loquitur in lib. de pudicitia. c. 14.

Igi-

Igitur si aliqua mens adhuc, si pietas, si mica si scintilla fidei, reliqua est, cõuertantur ad Romanum Episcopum, & Pastoré animarum suarum, & ab illo humiliter petant maledictionis vincula, in quibus miserabiliter coniecti sunt, dissolui, quò ab eo indulgentiæ, ac remissionis benedictionem misericorditer consequantur, sed lubet cum Beato Cypriano in epist. 55. hanc disputationem ita concludere, *Si cum precibus, & satisfactionibus veniunt, audiantur; si maledicta, & minas ingerunt, respuantur.*

LAVS DEO